



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Dispytatio XI. De Collatione causarum inter se, & cum suis effectibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Quæres ad quod genus causæ debet reduci instrumentalis.

Respondeo: sine dubio ad genus causæ efficientis, quia non ad genus causæ finalis, nec materialis, nec formalis, nec exemplaris; nullum autem aliud genus causæ assignari posset, ad quod reduceretur, præter genus causæ efficientis nec circa hoc est ulterius immorandum, cum nulla in eo sit controuersia.



DISPUTATIO XI.

De Collatione Causarum inter se cum suis effectibus.



A c disputatione complebitur tractatus de causis per se, de quibus cum seorsim antea actum sit restat iam, ut ad inuicem & ad suos effectus comparentur.

QVÆSTIO I.

An causæ debeant esse priores & perfectiores suis effectibus.

CONCLUSIO I.

Causa non debet esse prior tempore existens, quam effectus: potest tamen naturaliter contingere, ut causa materialis & efficiens, ac etiam finalis cuius assequendi gratia, præcedant effectum tempore, & etiam sequantur; non potest autem naturaliter contingere, ut causa formalis præsupponatur tempore effectui suo. Hæc est extra controuersia. Et probatur prima pars: quia ut aliquid habeat rationem causæ, nihil aliud requiritur, quam ut habeat influxum in ipsum effectum: sed eo ipso, quo existat pro illo instanti aut tempore, quo existit effectus, poterit habere influxum in ipsum effectum, quamuis non existeret antecederet: ergo non requiritur, quod existat antecederet.

Confirmatur: quia influxus actualis causæ non habet dependentiam à causa, nisi pro instanti, quo existit ipse influxus, & idem est de effectus: productus per talem influxum; sed influxus ille non existit, nisi pro instanti vel tempore, quo existit effectus; ergo habet dependentiam à causa, pro illo instanti antecedenti, & consequenter existentia causæ pro instanti antecedenti est impertinens in ordine ad rationem causæ exercendam.

Confirmatur secundo: si causa non existeret antecederet, & existeret in hoc instanti, haberet suum influxum & effectum in hoc instanti; & si existeret antecederet, & non existeret in hoc instanti, non posset habere influxum aut effectum pro hoc instanti; quod enim non est, non potest aliquid realiter producere efficienter, & non intentionaliter, quamuis antea existeret: ergo sola existentia pro illo instanti, pro quo producitur effectus, sufficit, nec existentia præcedens requiritur, nisi quatenus non haberet existentiam in hoc instanti, nisi extitisset antecederet.

2. Dices: nisi Deus esset prior duratione effectui, non posset effectum producere, quia si non esset prior duratione, non posset esse simul duratione: non enim potest incipere de nouo: ergo requiritur prioritas durationis in causa.

Confirmatur: quia si Deus non existeret ab æterno, & haberet decretum ab æterno creandi, non posset creatura produci in tempore: quia Deus nihil potest producere in tempore, quod non decreuit ab æterno: ergo debet necessario præcedere effectus suos duratione, præsertim si effectus producantur in tempore.

Respondeo distinguendo antecedens: si posset ipse existere in tempore & decretare in tempore, nego: si non posset, concedo, & distingo consequens: quando causa est infinita & nequit habere esse in tali instanti, aut decretare aliquid in tali instanti, quin haberet esse & decretum tale ab æterno, concedo: quando non, nego consequentiam. Et per hoc patet ad confirmationem, quæ concedenda est totaliter. Itaque quod Deus debeat præcedere duratione necessario effectus suos, non oritur ex ratione causæ ut sic sed ex immutabilitate suæ & necessitate essendi.

3. Dices secundo: Sont aliqui effectus, qui necessario præsupponunt tempore alios effectus etiam ab eadem causa producibiles: sed illi effectus necessario præsupponunt causam, etiam tempore, nimirum ut producat illos alios effectus: ergo causa, saltem aliquando, debet esse prior tempore.

Respondeo primo, concedendo totum, quia conclusio non dicit, quod non possit aliquando etiam necessario præsupponi tempore causa, sed quod non debeat semper sic præsupponi.

Respondeo secundo, distinguendo consequens: quando effectus necessario præsupponit alium effectum ab eadem causa producendum, ut secundus gradus intentionis præsupponit gradum primum, & secunda pars motus præsupponit primam, concedo: quando non præsupponitur alius effectus tempore ab eadem causa producendus, nego consequentiam: & in hoc sensu intelligenda est conclusio, ac probationes eius.

4. Secunda pars conclusionis probatur: quia de facto parentes hominum præcedunt ipsos tempore & sæpe sequuntur, & idem est de materia prima hominis, & quando aliquis habet pro fine Deum aut diuitias, certum est quod Deus, & diuitiæ illæ præcedant tempore actiones illas, quæ tanquam media applicantur ad earum acquisitionem, & quod etiam existant post transactas illas actiones.

5. Tertia pars patet, quia de facto omnis forma producitur in subiecto, nec potest naturaliter produci aliter, siue educatur, siue creetur, ut patet experientia, & ex dictis de educatione formarum: sed in eodem instanti, quo sic producitur, sequitur ad ipsam necessario compositum, & expellitur forma contraria: ergo non præcedit nec præcedere potest naturaliter, aut compositum aut expulsionem formæ impossibilis. Bene tamen forma animæ rationalis existit tempore post suos effectus; alias non esset immortalis, sed desinente homine desineret, contra fidem, reliquæ autem formæ non existunt post suos effectus absque illis, loquendo præsertim de composito siue per se, siue per accidens, quod ex ijs & materia aut subiecto sequitur.

CONCLUSIO II.

6. Omnis causa debet esse prius natura existens secundum illud esse, secundum quod causat, quam suis effectus. Dico autem secundum illud esse secundum quod causat, ut intelligatur, quod si causet secundum quod realis, existentia proprium suum, sicut causalat causa efficiens, materialis, & formalis, & non intentionaliter tantum, debeat existere secundum illud esse prius natura. Si vero non causet secundum illud esse, sed secundum esse intentionale, quatenus scilicet proponitur in intellectu, tum non debet esse prius natura, nisi secundum illud ipsum intentionale, & potest esse posterius natura suo effectui secundum esse reale proprium suum. Hæc conclusio est communis omnium.

Probatur: quia esse prius natura, ut hic de eo agimus, est habere suum esse reale, & suam existentiam realem independentem ab illo, quod dicitur posterius natura, sic scilicet, ut absque concursu illo illius posterioris habeat suam existentiam, vel à se ipso, sicut Deus habet, vel ab alijs causis sufficientibus ad dandam ipsi illam existentiam; sed quidquid causalat aliam rem debet habere suam existentiam hoc modo independentem ab illa alia re: ergo debet esse prius natura quam illa. Minor probatur: quia existentia illa, secundum quam causalat, est conditio necessario prærequisita ad hoc quod causalat: ergo debet esse prior quam effectus per illam causalatus.

Confirmatur: quia omnis talis causa habet alia principia sufficientia ad communicandum ipsi esse existentia suæ absque influxu effectus & effectus non habet alia principia sufficientia absque influxu causæ; alias non esset effectus; ergo causa est independentens ab effectui, & effectus dependens à causa, & consequenter causa debet esse prior natura quam effectus: quia nihil aliud, ut dixi, intelligitur per, esse prius natura, quam huiusmodi independentia à illo, quod dicitur posterius, & dependentia huiusmodi posterioris ab ipso.

7. Quod

Nulla causa debet esse prior tempore suo effectui.

Forma non præcedit tempore suum effectum.

Omnis causa debet esse prius natura existens secundum illud esse, secundum quod causat, quam suis effectus.

7 *Quod si queratur, an hæc prioritas sit realis & à parte rei, an vero rationis & dependens ab intellectu.*
Respondetur si explicetur hoc modo, quo iam explicatum est, esse sine dubio realem & à parte rei, quia certum est, quod à parte rei causa sit independens ab influxu effectus, & quod effectus non sit à parte rei, nisi cum dependentia ab influxu causæ. Si vero propter huiusmodi independentiam causæ, & dependentiam effectus, quod alij asserunt esse fundamentum prioritatis, & posterioritatis, intellectus velit fingere aliquod instans in quo causa sit, & non sit effectus, & aliud instans posterius illo instanti, in quo sit effectus, & concipere causam coexistentem priori illi instanti, & effectum posteriori, atque adeo causam esse priorem formaliter effectui per hanc coexistentiam ad instans illud prius, cui non coexistit effectus, omnino prioritate & posterioritate causæ & effectus esse omnino rationis; quia effectus dependens à fictione illa intellectus: neque existimo esse à parte rei aliquod instans, in quo causa debeat necessario existere, & in quo non existat necessario effectus.

8 *Dices* verum hoc esse de instanti durationis, quia in eodem instanti reali durationis, quo existit effectus, debet causa existere: & licet causa possit antecedenter existere, hoc est impertinens, & non necessarium, ut causet effectum pro illo instanti: unde quavis non existeret antecedenter, modo existeret in illo instanti, causaret æque bene effectum, ac si antecedenter existeret: sed tamen id non esse vlla ratione verum de instanti naturæ.

Sed contra, quia non potest explicari quid sit illud instans naturæ, nisi recurrendo ad conceptus intellectus: nihil enim à parte rei independens ab operationibus intellectus reperitur ex parte causæ & effectus, quod sit necessarium ad hoc, ut causa producat, nisi instans illud reale temporis, in quo existit causa: & effectus, independentia causæ ab effectui, virtus causativa, applicatio sufficiens, & dependentia effectus à causâ: neutrum autem ex his potest proprie aut solè, quod sciam, vocari instans, ergo à parte rei non reperitur instans aliquod naturæ independentem ab operatione intellectus. Unde mihi videtur hic dicendum, quod, quemadmodum inter illa, quorum vnum est prius alio dignitate, non debet assignari instans aliquod, in quo vnum sit, & aliud non sit; sed solum debet ad verificandam illam locutionem assignari maior dignitas in vno, quam in altero; ita etiam inter illa, quæ dicuntur priora naturâ aliis prioritate causalitatis, non debet à parte rei assignari aliquod instans, in quo vnum sit, & aliud non sit; sed solum assignari debet, quod vnum sit independens causaliter ab altero, & alterum è contra dependens causaliter ab ipso, quia reuera prioritas, & posterioritas naturæ, quam habent, consistit in hoc. Intellectus vero considerando hanc dependentiam in effectui, & independentiam in causâ, potest fingere aliquod instans, in quo quasi prius existeret illud, quod est independens, & illud potest dici esse instans naturæ; & potest similiter fingere aliud instans, in quo potest imaginari, quod sequatur effectus & illud instans sic conceptum ac fictum potest vocari aliud instans posterius naturæ.

CONCLUSIO III.

9 *Causa materialis, & formalis sunt semper imperfectiores composito, quod habent pro effectui, & causa formalis potest esse vel perfectior vel imperfectior effectui, ad quem applicandum movet voluntatem.* Hæc est communis, & probatur prima pars: quia compositum tale ultra perfectionem materiæ, includit perfectionem formæ, & ultra perfectionem formæ includit perfectionem materiæ: ergo est perfectius tam materiæ, quam formæ. Imo est perfectius quam utraque simul sumpta, quia includit illas vnicas & actuant se invicem, illæ autem ut sic sunt perfectiores semetipsis, quando non vniuntur, nec actuant se invicem.

Rursus, ex suppositione quod sit quid distinctum à materiæ & forma simul sumptis & unitis, erit perfectius ipsis sic sumptis; quia habet virtutem receptivam perfectionis, quam ipsæ non habent, verbi gratia compositum ex ani-

ma & corpore potest recipere actum vitalem, qui actus recipi nequit in partibus illis unitis, ut dictum est libro primo disput. de Composito.

Probatur secunda pars conclusionis: quia quis potest moveri à delectatione aliqua corporea ad applicandas operationes intellectuales intellectus & voluntatis, quæ sunt illa perfectiores, in ordine ad illam acquirendam; & quis potest moveri à beatitudine ad eliciendos actus fidei ac charitatis, qui sunt imperfectiores beatitudine, ut patet experientia; ergo finis potest aliquando esse perfectior, aliquando imperfectior effectui suo.

CONCLUSIO IV.

10 *Causa efficiens partialis potest esse imperfectior effectui, totalis vero non potest, sed necessario debet esse vel perfectior vel æque perfecta.* Hæc est communissima cum Doct. in 4. dict. 12. qu. 3. num. 13. & patet prima pars: tum quia species impressa concurret tanquam causa partialis ad speciem expressam illa perfectiorem; tum quia nihil impedit, quominus aliquid imperfectius cum auxilio alterius posset aliquid perfectius se producere partialiter; tum quia, ut effectus producat, sufficit esse in causa totali virtutem æque perfectam vel perfectiorem; sed posset esse talis virtus in causa totali, quamvis in aliqua parte ipsius non esset: ergo non est necessarium, ut causa partialis sit æqualis aut maioris perfectionis, & consequenter potest esse minoris.

Probari solet secunda pars: quia si aliquid imperfectius posset esse causa totalis efficiens alicuius rei perfectioris, non potuisset ex activitate colligi perfectio causæ, & consequenter non posset ex omnipotentia Dei colligi infinita perfectio ipsius. Sed non video quomodo hæc sequela valeat; quamvis enim non posset præcise ex activitate respectu alicuius effectus colligi maior vel æqualis perfectio cum perfectione effectus, tamen posset colligi aliqua perfectio, quia ipsamet activitas est perfectio, & consequenter quo maior erit activitas, eo maior erit perfectio, & si activitas sit infinita, perfectio erit infinita. Imo quamvis perfectio causæ esse posset minor perfectione effectus, tamen adhuc ex perfectione effectus posset colligi perfectio causæ, sic, ut si vna causa posset producere perfectiorem effectum quam alia causa, esset iudicanda perfectior illa alia causa, licet non deberet iudicari perfectior effectui vel æqualis perfectionis cum ipso.

Confirmatur hoc: quia licet causa partialis non debeat esse perfectior effectui, ut patet ex prima parte conclusionis; tamen potest colligi ex eo quod possit concurrere ad effectum, quod dicat aliquam perfectionem; & si perfectior est effectus, quem potest producere, quam qui est producibilis ab alia causa, etiam causa erit perfectior altera causa; ergo similiter quantum ad hoc, dicendum est de causa totali.

11 *Dices* Scotum supra uti hac ratione.

Respondetur id negando: solum enim dicit, quod sequeretur non posse colligi Deum esse perfectissimum omnium rerum ex activitate; quod quidem videtur; verum nam si imperfectius potest producere perfectius, ex eo quod Deus producat omnia præcise, non posset colligi quod esset omnibus perfectior: sed non propterea tamen sequeretur quin diceret perfectionem, & quin aliud posset colligi quod illa perfectio, quam diceret, esset infinita.

Probari solet secundo, quia nemo dat quod non habet, ergo si causa totalis non habet perfectionem tantam aut maiorem, quam effectus, non poterit dare effectui suam perfectionem.

Confirmatur: quia si effectus haberet maiorem perfectionem quam causa, posset per intellectum diuidi in plures gradus, nimirum in illos, in quibus esset æqualis causæ, & in illos, quibus superaret causam. Sed causa non posset illos, in quibus superaretur, communicare. Hac probatione sicut & præcedenti vitur *Mastrinus* *disputatione septima, quæst. sexta articulo secundo*.

12 *Sed contra* posset responderi, quod imperfectius contineret virtualiter illam maiorem perfectionem, licet non contineret illam formaliter: & similiter posset dici, quod contineret gradum illum, in quo superaretur.

V u 3

Dices:

Finis potest esse perfectior effectui.

Causa efficiens partialis potest esse imperfectior effectui totalis non potest.

Replicatur.

Dices: non posset continere illam vel vniuocae vel æquiuocae: non vniuocae, quia alias esset eiusdem rationis, ac consequenter perfectionis æqualis contra hypotesin: non æquiuocae, quia causa æquiuoca est maioris perfectionis.

Contra, quia in hac replica petitur manifeste principium; controuertitur enim hic an causa æquiuoca possit esse imperfectior: ergo non debet supponi, quod non possit, sed probari.

13 *Probaturs tertio conclusio*: quia alias posset dici quod musca posset producere totum vniuersum, etiam Angelos, quod videtur absurdum.

Probaturs sequela: quia id dicens non posset impugnari melius, quam hoc argumento, quod musca sit longe imperfectior vniuerso, & quod imperfectius nequeat producere perfectius: ergo, si hoc principium non sit verum, poterit dici, quod musca possit creare vniuersum.

Contra hoc argumentum, quod est ipsiusmet Scoti, vrgeri potest, quod aliunde quam ex imperfectione possit colligi muscam non posse producere Angelum, sicut potest colligi quod non possit producere multos effectus imperfectiores se, vt aquam, aut ignem, aut herbam: quæcunque enim principia sufficerent ad ostendendum quod musca, licet sit perfectior lapide, nequeat producere lapidem, sufficerent ad colligendum quod non posset producere vniuersum, quamuis imperfectius possit producere perfectius.

Verum hac responsio non est ad intentum Scoti, nec probationis huius, vt ea vritur Scotus. Vis enim probationis consistit in hoc, quod videatur absurdum non posse colligi ex imperfectione muscæ, quod non possit esse causa productiua vniuersi, quamuis id posset colligi ex aliis capitibus; sed non posset ex imperfectione eius id colligi, si imperfectius posset producere perfectius, aut quidquid sit de toto vniuerso, certe ex imperfectione eius non posset colligi, quin posset producere perfectissimam vniuersi creaturam.

14 *Probaturs quarto eadem pars*: quia omnis causa perfectior debet necessario posse habere perfectiorem effectum quam imperfectior causa, alias non esset perfectior, sed causa, quæ esset vniuoca respectu effectus perfectioris, qui produceretur à causa imperfectiori, esset perfectior, quam causa illa imperfectior, à qua produceretur ille effectus, quandoquidem esset æqualis perfectionis cum effectu illo: ergo deberet posse habere perfectiorem effectum. Sed non posset habere perfectiorem effectum, quam illum, qui esset eiusdem rationis, ergo talem non posset producere causa illa imperfectior.

Confirmatur hoc, Supponamus quod ignis sit perfectior in ratione causæ aquæ, & quod non possit producere perfectiorem effectum quam alium ignem: tunc sic: Ignis, si sit perfectior aqua in ratione causæ, necessario debet posse habere perfectiorem effectum: quam aqua possit: sed non posset habere perfectiorem effectum quam ignem: ergo implicat contradictionem quod aqua possit producere ignem, & hoc ex præcisa ratione imperfectionis, quantumvis non esset illa alia ratio, ob quam non posset ignem producere.

Confirmatur secundo, quia non potest à posteriori colligi maior perfectio in causa, quam ex maiori perfectione effectus & modo producendi: ergo quotiescunque causa aliqua nequit habere perfectiorem effectum quam alia causa, nec perfectiorem modum agendi, non potest colligi quod sit perfectior: Sed in casu nostro ignis non posset habere perfectiorem effectum quam altum ignem, nec perfectiorem modum agendi quam haberet aqua, si aliqua produceret ignem; & præterea aqua posset eundem effectum producere: ergo non posset colligi quod ignis esset perfectior in ratione causæ, quam aqua.

15 *Probaturs ultimo conclusio*: quia nulla est experientia, nec ratio probans quod imperfectius possit producere aliquid se perfectius per modum causæ totalis efficientis: ergo non est dicendum quod possit.

Dices, accidentia sæpe producere substantiam, quæ tamen sunt imperfectiora: ergo.

Respondeo negando antecedens, vt patet ex dictis supra. *Dices secundo*, causas intrinsecas totales esse imperfectiores suo effectui, verbi gratia: composito, vt dictum est supra num. 9. & idem est de causa finali totali: ergo causa totalis efficiens potest esse imperfectior.

Respondeo negando consequentiam & disparitas defendenda est ex rationibus & experientiis, quibus probatur causas intrinsecas & finales posse imperfectiores esse effectui, quæ non habentur de causa totali efficienti; sed potius habentur rationes concludentes oppositum de ipsa.

Obiicit contra totam conclusionem: si causa partialis possit esse imperfectior effectui, & sufficit, quod causa totalis sit perfectior, non posset assignari casus, in quo ex defectu virtutis, ac perfectionis non posset quicumque effectus à quacunque causa secunda produci: sed hoc videtur inconueniens: ergo non sufficit causam totalem esse perfectiorem, aut æque perfectam cum effectui. Probaturs sequela: quia in quocunque casu assignabili, causa totalis erit semper perfectior, quia causa totalis non est sola causa secunda, sed causa secunda cum prima; sed causa secunda cum prima est perfectior quocunque effectui, qui produci- tur: ergo.

Respondeo per causam totalem, quam dicimus debere esse maioris, aut æqualis perfectionis cum effectui, intelligi debere causam, quæ cum habet virtutem totalem productiuam effectus absque vlla dependentia à concausa alia effectiua præter illam dependentiam, quam habet à causa prima, & concursu generali ipsius, qui requiritur ex essentiali subordinatione causæ secundæ ad primam. Vnde non sufficit ad hoc, quod producat effectus; quod causa totalis efficiens includens causam primam & secundam sit perfectior effectui, sed requiritur, quod ipsamet causa secunda sit perfectior, aut æque perfecta ac effectus; vel si non sit æque perfecta ex se, & tamen producat effectum, suppleri debet imperfectio ipsius per concursum aliquem particularem Dei, qui non præstat ab ipso, quatenus causa vniuersalis, nec requiritur ex subordinatione essentiali causæ primæ, & secundæ, sed requiritur ex defectu sufficientis virtutis in causa secundæ.

16 Quod vt melius adhuc intelligatur, aduertendum causam secundam, posse habere duplicem dependentiam à Deo, vnam quatenus Deus est causa vniuersalis, cui essentialiter subordinatur quæcunque alia causa, ad vnam quamuis causa secunda esset maioris perfectionis, quam effectus, & haberet adiuuitatem respectus, non posset tamen illum producere absque concursu Dei. Aliam dependentiam potest habere à Deo; quatenus hic & nunc non haberet virtutem adæquatam productiuam effectus; sed cum concursu vniuersali, vt illum produceret, deberet habere concursum aliquem particularem Dei. Prima dependentia non potest colligi ex improportionem aliqua, quæ esset inter causam & effectum, nec ex ratione aliqua particulari, sed ex ratione æque militante de omnibus causis, quoad omnes effectus, ac de quacunque particulari causa, quo ad quemcunque particularem effectum. Secunda dependentia potest colligi ex ratione particulari causæ, quo ad particularem effectum, & propter eam, quamuis poneretur causa secunda, non habere primam dependentiam à causa prima, sed diceretur creaturæ agere posse absque immediato concursu Dei, adhuc tamen non posset producere effectum se sola, quia videlicet non haberet perfectionem sufficientem, aut proportionem ad effectum. Itaque illa causa, quæ non habet dependentiam aliam à prima causa, quam dependentiam illam priorem, debet necessario esse æqualis aut maioris perfectionis; quæ verò habet dependentiam posteriorem, potest esse minoris perfectionis sed non erit causa totalis se sola, sed ipsa simul cum Deo particulariter concurrente, erit causa totalis effectus; vnde in forma.

17 *Respondeo*, negando sequela: nam in casu, quo Deus cum causa secunda imperfectiori non veller concurrere nisi per modum causæ primæ, causa totalis communicans perfectionem effectui non daretur, atque adeo non posset produci ille effectus: quamuis autem in tali casu adesset Deus, & Deus cum causa secunda esset perfectior effectui, tamen

Duplex dependentia potest esse causæ secundæ ad primam.

tamen Deus non concurrir particulariter ad perfectionem illam maiorem communicandam; unde quod ille sit perfectior secundum se, materialiter se habet. Ad probationem maioris dico adesse quidem semper causam totalem perfectiorem; sed eam tamen non agere ad effectum ut perfectiorem; quia non agit Deus nisi iuxta perfectionem secundam: quod manifeste colligitur ex eo, quod quando concurrir tantum ut causa vniuersalis, non producit ullus effectus; nisi qui posset à sola causa produci casu quo non haberet essentialem subordinationem ad causam primam; unde si effectus sit causa secundam perfectior, sicut non produceretur ab ipsa in casu, quo non dependeret in agendo à causa prima, ita neque poterit produci, dum dependet ab ipsa ut causa prima tantum, & vniuersalis.

18 *Quæres*, an causa æquioca totalis debeat esse perfectior effectui.

An causa æquioca debeat esse perfectior effectui.

Respondetur hoc dependere ab alia questione, an scilicet duæ res diuersæ speciei possint esse æqualis perfectionis, si enim possint, quando vna haberet æqualem perfectionem cum altera, nihil impedit quominus posset illam producere; & si produxisset, esset causa æquioca ipsius, ac consequenter causa æquioca non deberet necessario esse maioris perfectionis: si autem non possint duæ res diuersæ speciei esse æqualis perfectionis, tunc quandoquidem causa æquioca debet esse diuersæ speciei, & non possit esse minoris perfectionis, debet esse maioris. Quid autem absolute dicendum sit, resolutum est in Logica.

QVÆSTIO II.

Virum idem numero effectus possit produci simul & semel à pluribus causis adæquatis.

19 **C**ertum est, eundem effectum posse produci à pluribus causis diuersi ordinis simul, & semel; quarum qualibet sit adæquata in suo ordine; nam à quatuor generibus causarum, & à causa etiam prima vnus effectus de facto producit, ex quibus qualibet in suo ordine est adæquata; nec minus certum est posse, & de facto produci eundem effectum à diuersis causis eiusdem ordinis, verbi gratia ordinis efficientis, modo tamen neutra ex ipsis sit simpliciter adæquata causa effectus: sic enim à Deo, & igne producit de facto alius ignis efficienter. Difficultas autem est, an possit idem effectus produci à diuersis causis, quarum qualibet sit ita adæquata ipsius, ut eodem modo se habente, produceretur effectus per illam non minus bene quoad modum aut substantiam, siue altera produceret effectum, siue non. In hoc enim consistit ratio causæ adæquate, quod scilicet sit causa produciens effectum absque dependentia actuali ab alia causa sic, ut quamuis alia causa non applicaretur nec concurreret, illa causa, quæ dicitur adæquata, vere produceret illum effectum eodem modo se habendo, quo se habet præsentia alia causa.

Prima sententia est, quod possit idem effectus, etiam naturaliter, produci à diuersis causis, quarum qualibet adæquate effectum produceret. Hæc tribuitur *Nominalibus*, cum quibus conuenit *Hurtadus disp. 13. de anima sec. 7. Auerſa q. 16. sec. 5.* & plures alij quantum ad causas finales diuersas.

Secunda sententia est, id non posse fieri naturaliter, saltem quoad efficientis causas, posse tamen supernaturaliter. Hanc tenent *Suares disp. 26. sec. 4. Auerſam citatus. Arriaga disp. 7. n. 116. Caiet. 1. p. q. 52. a. 3.* quamuis oppositum teneat *3. p. q. 67.*

Tertia denique sententia est, nec quidem supernaturaliter id contingere posse Ita *D. 1. d. 2. q. 3.* & alibi sæpe cum omnibus suis; & *D. Thoma 1. p. q. 52. a. 3.* & aliis locis citatis à *Complutensibus* ipsum in hoc sequentibus.

CONCLUSIO.

Idem effectus nequit dependere à pluribus causis adæquatis.

20 **N**on potest idem effectus dependere à pluribus causis adæquatis simul, & semel, nec naturaliter, nec supernaturaliter. Hæc est iuxta tertiam sententiam contra alias duas.

*Probat*ur quoad primam partem, nimirum quod fieri nequeat naturaliter; quia superflue concurreret altera

causa, quando vna producit adæquate effectum; ergo non potest naturaliter tum concurrere. Probatur consequentia, quia non debet attribui naturæ actiuitas vlla frustranea & inutilis; ergo si superflueret alter concursus, proposito primo adæquato, non debet asseri quod natura habeat virtutem actiuam respectu eius.

Confirmatur hæc pars maxime per secundam partem, quia si supernaturaliter id fieri nequeat, à fortiori non poterit fieri naturaliter.

*Probat*ur conclusio quoad secundam partem: quia sequeretur effectum dependere per se, & non dependere per se ab alterutra ex illis causis, imò à neutra, & quamlibet ex illis esse causam adæquatam, ac non esse causam adæquatam: sed hoc implicat: ergo. Probatur sequela maioris: quia dependeret per se effectus, & qualibet ex causis esset adæquata ut supponitur: non dependeret per se effectus nec vlla ex causis esset adæquata, quia nihil dependet per se ab aliquo, quo non posito, adhuc per alia, quæ tum ponuntur, sine vilo nouo superaddito poneretur, sed ablata alterutra ex illis causis, adhuc effectus per alteram absque vilo superaddito poneretur, alias non esset causa adæquata ipsius; ergo non dependet per se ab altera.

Deinde, illa non est causa adæquata, quæ non ponit effectum nisi concurrente altera causa: sed si altera causa poneret etiam effectum, neutra causa poneret effectum; nisi altera causa concurrente: ergo neutra esset causa adæquata. Hæc est probatio communissima huius conclusionis, qua tam Scotista quam Thomista vtuntur.

21 *Sed respondet aduersarij*, dependentiam per se effectus à causa totali non excludere simultaneam dependentiam eiusdem effectus ab alia causa; sed importare tantum quod ita producat totaliter per illam causam, à qua sic dependere dicitur, ut eadem ipsa actione, qua producit effectus per illam causam, produceretur, quamuis altera causa non haberet suam actionem.

Responsio aduersariarum.

Deinde, esse causam adæquatam non dicit exclusionem alterius causæ necessario, sed solum dicit quod illa causa, quæ talis dicitur, tali actione effectum producit, quæ sola sufficeret, quamuis non adesset alia vlla causa, nec actio vlla altera.

Impugnatur hæc responsio primo: quia quidquid sit, an excludat dependentiam per se ab vna causa totali, dependentiam ab altera, saltem inuoluit hoc, quod res non esset pro illo instanti, pro quo dicitur dependere, nisi esset illa causa, à qua dicitur dependere, aut nisi esset aliquid aliud loco ipsius, quod non esset, quando res ab illa dicitur dependere: neque enim potest concipi quomodo aliàs dependeret. Sed in casu nostro, quamuis nihil poneretur loco vilius ex illis, à quibus dependere dicitur effectus, adhuc effectus maneret in esse, ablata quacunque ex illis; ergo non dependeret ab vlla ex illis.

Impugnatur.

Dices, effectum non dependere in tali casu proprie ab vlla ex illis determinate, licet determinate accipiat esse à qualibet ex illis.

Contra: quia dependentia effectus à causa consistit in acceptione sui esse ab illa; ergo si determinate accipit suum esse à qualibet ex illis, etiam dependebit à qualibet ex illis determinate.

Dices secundo, dependentiam vltra acceptionem esse, dicere vterius, quod non esset res, nisi esset causa, à qua dicitur dependere, aut aliquid aliud loco eius, quod non est, quando dependet ab illa causa; unde, quandoquidem effectus recipiens esse à duabus causis, haberet esse quamuis vna non esset, sine positione vilius alterius, quod in eodem ipso instanti non esset propterea absolute non debet dici dependere ab vlla ex illis determinate.

Contra: quia ad minus habemus, non obstante hac responsione, quod effectus non possit dependere proprie à pluribus causis adæquatis simul; quod videtur intentum potissimum Scoti. Deinde non videretur aliquid posse accipere esse ab vilo, quo non posito, adhuc haberet suum esse.

22 *Impugnatur secundo eadem responsio principalis*: quia si causa totaliter producit effectum actione tali, per quam solam absque consortio alterius necessario poneretur

Vu 4 tur

cur effectus, & si effectus dependeat per se totaliter ab una causa sic, ut ab ea haberet esse, quantumvis nulla alia adisset: ergo effectus non habet indigentiam, vilius alterius causa, sed si non habeat indigentiam, non habet dependentiam, neque potest habere: ergo supposita una causa totali, & una dependentia totali, nequit adesse alia causa, neque totalis neque partialis, quæ actualiter influat in illum effectum, aut à quo ille effectus dependeat actualiter villo modo. Probatur sumptam: quia indigentia actualis est ratio fundandi, aut conditio necessario requisita ad fundandam relationem actualis dependentiæ, non minus quam albedo est ratio fundandi relationem similitudinis: & hinc sequitur quod Deus non possit dependere ab villo alio, quia nullo alio indiget: & sane, si non posset creatura indigere Deo, non posset ab ipso dependere, & si non indigeret ipso actu, non dependeret actu ab illo: quæ est etiam ratio cur idem non posset dependere à se ipso: ergo ubi non est indigentia, non potest esse dependentia.

23. *Dices effectum habere indigentiam ut si ab illa alia causa, quia sic perfectius existet, & minus poterit destrui, nam posita dependentia ab altera causa, si destrueretur una causa cum actione ipsius, non destrueretur tamen effectus, quia conservaretur ab altera causa.*

Contra: quia in illo instanti, in quo producit effectus ab una causa, non potest destrui: ergo non potest pro illo instanti habere indigentiam vlla ratione ab altera causa: iam enim perfecte existit pro illo instanti, & tam erit pro eodem instanti indestruibilis, quam si dependeret à mille. Quoad alia autem instantia sequentia, ut conservetur, destructa una causa, sufficit quod in illo instanti, quo destruitur illa causa, ponatur dependentia ipsius ab altera causa, neque potest habere indigentiam vllam alterius cause, nisi in ordine ad hoc, quod deficiente concursu vnius, ponatur concursus alterius: ergo omnino superfluit in ordine ad quemcunque effectum possibilem duplex dependentia totalis eiusdem effectus à pluribus causis pro eodem instanti simul, & consequenter non potest esse indigentia respectu talis dependentiæ, quandoquidem impossibile est ut aliquid indigeat eo, quod est omnino superfluum.

Dices non esse quidem indigentiam in effectum, respectu duplicis talis dependentiæ, & propterea connaturaliter loquendo non debere viramque poni: sed supernaturaliter non est inconueniens, quod aliquid superfluum ponatur.

Contra est, quia si illud quod superflue poneretur, necessario præsupponeret aliquam determinatam conditionem, profecto non poterit poni sine illa, nec supernaturaliter, sicut nec similitudo fundata in albo potest poni etiam supernaturaliter absque albedine: sed dependentia præsupponit necessario indigentiam: ergo ubi non est indigentia, nequit poni dependentia, quamvis alias non esset inconueniens, quod produceretur aliquid superfluum supernaturaliter.

24. *Probatur secundo conclusio:* quia eadem causa non potest habere plures effectus adequatos simul & semel, licet posset successus plures tales habere: ergo nec vnus effectus potest habere plures causas adequatas simul & semel, quamvis successus posset. Antecedens conceditur ab aduersariis communiter, & ratio eius est, quia alias sequeretur, quod effectus esset adequatus & non esset adequatus virtuti ipsius: esset quidem, ut supponitur, non esset autem, quia ultra illum effectum haberet alium effectum. Probatur consequentia à paritate rationis, quia tam sequitur causam non esse adequatam, quæ admittit aliam causam, quam effectum non esse adequatum si admittat alium effectum: ergo si sequeretur ex pluribus effectibus neutrum esse adequatum, etiam sequitur ex pluribus causis neutram esse adequatam.

Quod si dicas, causam non dici adequatam ex eo, quod excludat alias causas, sed ex eo, quod se sola totaliter producat effectum tali actione, quæ sufficeret ad effectum ponendum, quamvis nulla alia causa, nec actio adhiberetur. Similiter dici poterit effectum non dici adequatum ex eo, quod excludat alios effectus, sed ex eo,

quod adequatè produceretur à causa.

Confirmatur hæc probatio: quia sicut est in causa productiuitas tam limitata in ordine ad aliquem effectum tantæ perfectionis, ut non possit villo modo extendere se ad vltiorem gradum, nec quidem supernaturaliter, ita etiam videtur esse in effectum producibilis talis rationis, quæ non possit extendere se, nisi ad causam talem simul & semel: sed nullam causam potest sic melius respicere, quam causam, quæ totaliter ipsum effectum ponit: ergo talem solum potest simul respicere, & consequenter nequit respicere simul aliquam aliam causam.

Ex hac probatione patet male argumentari aduersarios ex eo, quod idem effectus possit diuisim & successus, & etiam pro eodem instanti iuxta dicenda quæstione sequenti, produci à pluribus causis, quod possit produci ab ipsis simul & collectiue: quia si valeret ista collectio, sequeretur quod quemadmodum eadem causa potest successus & etiam pro eodem instanti diuisim producere plures effectus adequatos, quod possit simul illos producere copulatiue, quod ipsi negant.

25. *Complutenses* probant hanc conclusionem vltimus: quia sequeretur, quod actiones illarum causarum essent duæ, & non essent duæ, & consequenter etiam virtutes ac essentia earum essent, & non essent duæ, quod implicat. Probant secundam sequelam: quia confusio actionum refunditur in confusione virtutum, quia quæ causæ agunt per diuersas actiones, debent agere per diuersas virtutes; quæ vero agunt per eandem actionem, si sint præsertim causæ eiusdem ordinis, debent agere per eandem virtutem. Probant etiam primam sequelam: quia essent duæ actiones, ut supponunt aduersarij, & patet ex eo, quod corresponderent diuersis virtutibus & rationibus agendi eiusdem ordinis: & ex eo quod, deficiente actione vnius causæ, effectus procederet ab altera causa, non essent autem duæ actiones, sed vna tantum, quia cum effectus sit vnus, fieri ipsius debet esse vnum, & consequenter actio debet esse vna, quia accidentia indiuiduantur à subiecto.

Hæc probatio parum virget, nam non probat sufficienter quod in casu, de quo agitur, actio deberet esse vna: si enim actio ponatur in agente, certum est, quod pro diuersitate causarum debent esse diuersæ actiones, & si ponatur actio ex parte termini, seu effectus, non minus debet multiplicari pro diuersitate agentium, quando præsertim agentia non sunt essentialiter subordinata, nec sic concurrunt ad effectum quin quodlibet ex ipsis suum possit habere concursum, quamvis alterum non haberet suum. Falsum etiam est accidentia ita indiuiduari à subiecto, quin plura distincta possint subiectari in eodem numero subiecto, & præsertim si sint accidentia, quæ essentialiter respiciunt terminos distinctos, & quorum vnum non possit referre subiectum ad illud, ad quod referret alterum, ut contingit in casu proposito.

26. *Obiicies primo:* idem numero accidens potest esse simul in pluribus subiectis, & eadem numero forma in pluribus materiis: ergo & idem effectus à pluribus simul causis potest dependere adequatè. Probatur consequentia: quia accidens illud vnum dependeret à pluribus illis subiectis, & eadem illa forma dependeret à pluribus illis materiis, si poneretur in illis, tanquam à pluribus causis adequatis.

Respondeo distinguendo antecedens: ita ut à quolibet ex illis subiectis adequatè dependeret, aut à quolibet ex illis materiis, nego antecedens: ita ut partialiter à quolibet ex illis, aut totaliter ab vno, & nullo modo, ab altero, concedo antecedens, & nego consequentiam cum probatione ipsius.

Obiicies secundo: vnum corpus potest simul supernaturaliter poni in pluribus locis: ergo & vnus effectus à pluribus causis.

Respondeo negando consequentiam: quia corpora non dependent in suo esse per se à locis, sicut effectus dependet à causis; unde non militat eadem ratio de corpore respectu plurium locorum, & de effectum respectu plurium causarum.

Confirmatur

Confirmatur hæc responsio contra aduersarios: quia quævis ipsi concedant vnum locum posse recipere plura corpora, non tamen concedunt eandem causam posse producere plures effectus adæquatos: ergo quamuis nos admittamus vnum corpus posse esse in pluribus locis, non debemus tamen admittere vnum effectum posse produci à pluribus causis adæquatis: & quæcunque disparitas dabitur ab ipsis pro sua parte sufficit nobis, vel alia habens cum ipsa proportionem pro nostra parte.

27 *Obiicies tertio*: si duo ignes applicarentur eidem stupæ aequaliter, & eodem omni modo, vt si penetrarent se inuicem, producerent eundem calorem, & eundem ignem; ergo duæ causæ totales, producere possunt eundem omnino effectum.

Respondetur distinguendo antecedens, ita vt quilibet ex illis, aut etiam vnus sit causa totalis, nego antecedens: ita vt quilibet ex illis sit causa partialis, concedo antecedens.

Et si queratur vter ex ipsis potius debeat dici producere illum effectum.

Respondetur neutrum ex natura sua, vnde spectabit ad Deum determinare, quidnam debeat producere, nisi velit ita rem disponere, vt ab vtroque procedat partialiter, neque enim vterque potest toto conatu concurrere, tum quia sequeretur, quod dependeret effectus adæquate ab vtraque causa; tum quia implicat causam perfectiorem agentem toto conatu non posse habere perfectiorem effectum, quam imperfectior possit, sed duo ignes sunt perfectior causa, quam vnus ignis, ergo si agunt toto conatu, quo possunt agere, debent habere perfectiorem effectum, quam vnus tantum ex ipsis: ergo quando producant vnum effectum, qui tam cito & bene ab vno potest produci, quam à duobus, non possunt habere tantum concursum, quantum haberent quando seorsim agerent, & consequenter tum concurrunt solum partialiter.

28 *Obiicies quarto*: de facto si simul duo Sacerdotes proferrent formam consecrationis supra eandem hostiam, vterque adæquate illam consecraret: ergo illa consecratio haberet duas causas totales.

Respondetur aliqui, aliud esse de causis physice agentibus & aliud de iis quæ agunt moraliter, qualiter Sacerdotes agunt ad consecrationem. Sed reuera videtur mihi eandem esse rationem de vtriusque; nam si adæquate procedat effectus ab vna causa morali, non remanebit indigentia in ipso, vt possit dependere simul ab alia causa morali.

Respondetur ergo aliter, negando antecedens: nam in tali casu vterque tantum inadæquate producit illum effectum, quia licet habeant virtutem adæquate productiuam moraliter loquendo, quando seorsim applicantur; tamen quando applicantur simul, non habent talem virtutem propter implicantiā; quæ inde sequeretur.

29 *Obiicies quinto*: de facto moueretur quis ad ponendum effectum aliquem propter duos fines adæquatos, quorum quilibet, si solus esset, moueret tam bene, quam mouet, quando vterque proponitur: ergo non solum supernaturaliter, sed naturaliter etiam potest idem effectus à duabus causis totalibus eiusdem ordinis, & non subordinatis produci.

Respondetur negando antecedens: quamuis enim quis ambulet propter sanitatem solum, aut propter recreationem solum, & tum sanitas esset finis adæquatus, & recreatio etiam; tamen quando mouetur ab vtroque fine simul, ambulatio dependet ab vtroque, tanquam causis partialibus integrantibus vnicum finem totalem, nec eadem actione, qua alteruter ex ipsis concurrat concurrente altera concurreret quando ille solus moueret, quia actio ipsius, quando concurrat alter, est actio qua mouet ad volitionem effectus propter vtrumque finem; actio verò, qua mouet, quando solus mouet, est actio qua mouet ad volitionem effectus propter illum solum finem. Ex his autem duabus volitionibus vnā distinguitur specie ab altera, & consequenter actio, quæ terminatur ad vnā: debet distingui specie ab illa, quæ terminatur ad alteram.

30 *Obiicies sexto*, quælibet creatura dependet essentialiter

liter à Deo, tanquam à causa totali, mediante actione, quæ sola sufficeret ad ponendam creaturam, & tamen non obstante dependent multæ creaturæ ab aliis creaturis; ergo cum concursu causæ totalis & adæquate potest manere concursus alterius causæ.

Respondetur multi, distinguendo consequens: concursus alterius causæ diuersi ordinis, conceditur; eiusdem ordinis, negatur. Sed hæc responsio nunquam placuit, nihil enim refert, quod sit eiusdem vel diuersi ordinis, quantum ad hoc. Si enim cum causa simpliciter totali, per quam solum eodem modo se habentem produceretur effectus, potest stare alius concursus qualiscunque, profecto argumenta supra posita pro nostra conclusione ex adæquatione causæ & indigentia effectus, omnino eneruantur, vt consideranti rem bene facile patet.

Itaque respondeo aliter, negando maiorem: quando enim concurrat alia creatura, profecto Deus non est causa simpliciter adæquata effectus, nec est possibile, vt actio illa, per quam producit effectum concurrente creatura formaliter considerata vt actio talis est, possit esse totalis productio effectus; nec est possibile, vt ponatur absque actione creaturæ concurrentis, & si poneretur, profecto non sufficeret se sola.

Dices, hæc argueret imperfectionem, in actione diuina.

Respondetur negando consequentiam: sicut enim non arguit imperfectionem in actione ipsius formaliter considerata, qua producit Leonem, quod per eam non possit produci lapis, quia ex natura sua intrinseca dicitur ordinem tantum ad Leonem; ita etiam non arguit imperfectionem in actione, qua vult producere cum creatura, quod non sufficeret absque creatura, quia dicit ex natura sua ordinem, qua talis actio formaliter est, ad concursum creaturæ & non est productio effectus absolute, sed productio ipsius cum creatura.

QVÆSTIO III.

Vtrum idem numero effectus possit produci à pluribus causis totalibus diuisis.

31 *Hæc* quæstio in duplici sensu examinari potest. Primus est, an idem effectus, qui est productus ab vna causa, si destrueretur, possit iterum ab alia causa produci. Secundus sensus est, an effectus qui pro vno instanti productus est ab vna causa, possit idem numero produci ab alia causa, si eodem modo fuisset applicata cum omnibus circumstantiis & conditionibus intrinsecis & extrinsecis, ac causa illa fuit applicata, quæ illum produxit: v.g. an calor, qui hodie productus est in Hybernia à tali igne in tali subiecto, potuisset produci ab igne omnino simili Romæ existente, si poneretur in Hybernia loco illius alterius ignis.

Quantum autem ad primum sensum, ex suppositione, quod eadem causa, quæ semel produxit effectum, possit illum destructum reproducere, non est difficultas vlla, quin altera causa possit eundem iterum & bene reproducere præter illam difficultatem, quæ est in secundo sensu. Vnde solutio quæstionis in secundo sensu est, quæ principaliter hic intenditur. Sane autem de hac re tres sententiæ.

Prima est, quod neque supernaturaliter possit fieri, vt effectus procedens ab vna causa, possit produci ab altera. Pro hac citantur *Conimbricenses* 1. *Physicorum*, c. 9. q. 11. *Musius* 1. *Physicorum tract. de causis*, sect. 5. *Complutenses* 2. *Physic. disp.* 15. *Amicus* 1. *Phys. tract.* 14.

Secunda sententia est non posse id fieri naturaliter, posse tamen supernaturaliter. Ita *Murcia* 2. *Phys. disp.* 4. q. 8. *Franciscus de Ragonis tract. de principiis* sect. 2. & quoad primam partem eam tenent omnes auctores prioris sententiæ.

Tertia denique sententia est id posse fieri absolute: ita *Scotus* 2. d. 20. q. 2. cum suis omnibus, & *Nominalibus*, quos sequuntur *Sum. disp.* 26. *met. sec. 5. Ruvius hic tract.* 7. q. 2. *Auersa* q. 16. *sec. 4.* Non autem determinant tam clarè hi authores, an dicant id fieri posse naturaliter nec ne: sed credo Scotum sic intelligendum, quia id vident eius rationes.

Vt autem tollatur omnis quæstio de nomine, quæ potest

Responsio
aliquorum
tenetur.

Aliorum
responsio
tenetur.

Ex duobus
Sacerdotibus
consecratis
nequit adæ-
quate conse-
crare.

Nequit
quis habere
duos fines
adæquatos.

posset esse circa hoc quantum ad illud de naturaliter, & supernaturaliter, aduertendum, quod si effectus aliquis ex natura sua intrinseca non magis petat connaturaliter produci ab una causa quam ab alia, quod tum debet dici, si naturaliter posset produci ab una, quod naturaliter etiam posset produci ab altera, non obstante quod fortassis de facto ex libertate sua Deus determinauerit non concurrere cum una ex ipsis, etiam si applicaretur ad talem effectum.

CONCLUSIO I.

Idem numero effectus, qui producitur ab una causa, posset ab alia causa eiusdem speciei & perfectionis produci, si applicaretur eodem modo eidem passo in eisdem circumstantiis, etiam naturaliter. Hæc est tertia sententia contra duas primas.

Probatur: omnis causa potens in vnum effectum naturaliter, potest in quemcumque similem effectum etiam naturaliter, nisi sit aliqua ratio particularis ex parte vnius effectus, ob quam non posset produci, quæ ratio non esset ex parte alterius: sed nulla est ratio particularis ex parte ignis producti à B, ob quam non posset produci ab A, tamen bene quam alius ignis eiusdem rationis, qui ab ipso producitur; ergo A, poterit producere naturaliter ignem productum à B. Maior & consequentia sunt evidentes: Probatur minor: ignis qui producitur à B, est eiusdem omnino rationis cum igne producto ab A, absque vlla prorsus differentia præter individualement: sed ex differentia individuali non potest habere rationem particularem, ob quam non posset produci ab A, quia ex differentia individuali non habet aliud quam esse numero distinctum ab altero illo igne, qui producitur ab A, hoc autem non sufficit; quia ignis, potest sine dubio producere alium ignem numero distinctum ab alio igne; ergo nullam habet rationem particularem ignis producti à B, ob quam non posset æque bene produci ab A, ac alias quicumque ignis ab ipso producibilis.

33 Confirmatur hæc: quia ignis productus à B, non est essentialiter determinatus ex natura sua ad hoc, ut producat à B; ergo potest produci ab A, tam bene quam alius ignis, si sit distinctus realiter ab A, quod addo, quia si non esset distinctus, non posset ab ipso produci, quia inter producentem & productum realiter requiritur distinctio realis. Probatur antecedens: tum quia potest sine dubio à solo Deo produci, quod non negant aduersarij, tum quia de facto conseruatur connaturaliter absque B, quod esset falsum si ex natura sua intrinseca essentialiter peteret produci à B; tum denique quia id gratis diceretur; nec potest commode stare cum sola distinctione numerica ignis producti ab A, & illius qui producitur à B; nam sane si aliquid essentialiter peteretur ab uno, quod non peteretur ab altero, præsertim si id non peteretur, ex eo quod ex natura sua intrinseca haberet essentialem connexionem cum illo quod peteret, plusquam numero differentem, atque adeo differentem vnius speciei: In tali autem casu ignis peteret ex natura sua intrinseca produci ab alio igne, cum quo non habet necessariam connexionem; & alius ignis ex natura sua intrinseca peteret non produci ab illo: ergo non distinguerentur solo numero, & consequenter distinguerentur specie.

34 Confirmatur secundo: quia quando aliqua causa limitatur ad certos effectus potius quam ad alios eiusdem speciei, debet ostendi aliqua ratio, ob quam id dicatur: sed aduersarij nullam possunt assignare rationem, cur ignis qui producitur ab uno igne, non posset produci ab altero: ergo non debent id asserere.

Prebatur soler à Scotistis & Secro ipso conclusio argumento Theologico huiusmodi: idem homines, qui de facto sunt prædestinati essent prædestinati si maneret status innocentie: sed plures ex illis de facto sunt nati à reprobis, qui non fuissent in illo statu: ergo in illo statu debent nasci ab aliis & consequenter idem effectus, qui producitur ab una causa posset produci ab aliis causis. Hæc probatio efficaciter conuincit conclusionem, sed quia dependet à principiis Theologicis, quæ hic examinare non placet sufficit modo eam innuere.

35 Obiicit primo: Effectus per se dependet à causa: sed

hoc est falsum, si potest ab alia causa produci; neque enim per se dependere potest ab eo, quo non posito poneretur: ergo effectus vnicuius causæ nequit ab alia causa produci.

Confirmatur: quia vnica numero actio ita petit ab una numero causa egredi, ut non possit, nec quidem de potentia absoluta, egredi ab alia causa; ergo effectus, qui per illam producitur, nequit produci ab alia causa. Probatur consequentia: quia si ab alia causa produceretur, deberet produci per aliam actionem, si actio determinat sibi vnā causam; sed illa alia actio non posset habere eundem effectum, quia actiones distinctæ petunt terminos distinctos.

Respondetur negando minorem cum sua probatione: ut enim dependeat per se, sufficit quod ab illa directe producatur per actionem ad ipsummet terminatam, siue possit dependere ab alia causa, siue non. Et sane alias nec Deus ipse se solo posset effectus creaturarum producere quod est absurdum. Aduertendum autem hic, ut vitetur questio de nomine, dependentiam per se posse capi duobus modis: primo sic ut nihil aliud velit, quam quod res accipiat suū esse ab illo, à quo dicitur dependere & in hoc sensu accipitur in responsione & supponitur accipi in argumento. Alio modo accipi posset sic, ut coincidat cum dependentia essentiali, qualem habet res, quæ sine alia re nequit esse. Et in hoc sensu non accipitur in responsione, & si accipiat sic in obiectione neganda erit maior, quæ propterea absolute & simpliciter posset distingui, & cōcedi de dependentia per se in prima acceptione, & negari in secunda.

Ad confirmationem, nego consequentiam cum minori probationis: quamuis enim de facto forte actiones totales semper habeant terminos distinctos, tamen non est inconueniens quod diuersæ actiones possint terminari ad eundem effectum & certe alias Deus ipse non posset se solo producere effectum causæ secundæ, quia ut se solo produceret ipsum, deberet habere aliam actionem realissime distinctam ab actione causæ secundæ, quæ ut supponitur, nequit existere absque causâ secundâ, quia essentialem habet connexionem cum ipsa.

36 Dices cum Iuane à S. Thoma hic q. 10. a. 5. disparitatem esse, quod actio Dei sit infinita ac illimitata, & propterea per eam fieri potest, quod fit per actionem causæ secundæ.

Sed contra, quia est euideas, quod per eam formaliter, quia producitur calor, non producatur frigus, alias implicaret calorem produci, quin produceretur frigus; nequit etiam per eam, quia produci ut vnus ignis, produci alius; alias vnus nequireret produci absque altero, nunquam enim est actio formalis quia producitur aliquid, quin sit illud quod producitur per ipsam: ergo actio Dei, quamuis sit infinita, tamen ut habet rationem talis actionis formalis, nequit habere rationem alterius actionis formalis, & consequenter nequit esse eadem actio formalis, quia Deus cum causâ secundâ & sine causâ secundâ producit aliquid, atque adeo possunt diuersæ actiones terminari ad eundem terminum. Adde falsum esse, quod actio causæ secundæ, ut supponit hic author, identificetur effectui, & sane, si identificaretur, non posset effectus produci, nisi per illam actionem, quod est absurdum.

37 Obiicit secundo: differentia specifica determinat rationem genericam ad certos specie effectus, ultra quos non potest producere alios effectus: ergo differentia individualis determinat rationem specificam ad certa individua, contenta sub illa specie, ultra quæ nequit alia producere.

Respondetur negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod differentia specificæ cōtinetur sub ratione generica sint dissimilis naturæ, & plurimum, inæqualis perfectionis unde non est mirum, quod vna differentia, licet posset ad aliquas species producendas sufficere cū ratione generica, non possit tamen sufficere ad alias species omnino dissimiles, & forte maioris perfectionis: at differentie individuales rerum, de quibus loquimur, sunt omnino eiusdem rationis, absque vlla dissimilitudine, præter quam quod vna non sit altera, unde mirum esset, quod quæ causa posset sufficere ad productionem vnius, non posset sufficere ad cæterarum productionem.

38 Obiicit tertio: quando aliquod indiuiduum producitur debet

Dependen-
tia per se
capitur
duobus
modis.

C.
hab
uer
feri
qu

debet assignari aliqua causa, cur illud potius quam aliud producat, sed hoc esset falsum, nisi causa ex natura sua peteret ipsum producere, & non aliam, & nisi effectus ex natura sua peteret produci ab illa; ergo ita dicendum est.

Respondeo negando minorem, nam determinatio provenit à causa prima, ad quam spectat, ut dictum est *disp. de causa efficiente* determinatio effectus quoad individuum.

Dices, non esse recurrendum ad Deum, ut ad causam determinatam, quando potest recurri ad causam secundam: sed potest recurri ad causam secundam. Si dicatur, quod qualibet causa secunda habet determinatam seriem effectuum, qui ab ipsa sola naturaliter saltem possunt provenire; ergo ita dicendum est, & consequenter effectus unus cause nequit produci ab alia causa.

Respondeo primo, quamvis si assignaretur cuilibet cause sua propria series effectuum, determinatio ad talem effectum præ alio refundi posset in causam secundam, & non esset propterea recurrendum ad Deum: tamen si in effectibus non sit aliqua ratio particularis, ob quam possent appropriari uni cause magis quam alteri, potius recurrendum ad Deum tanquam ad causam determinatam, quam dicendum, quod causa qualibet habeat ex natura sua tales effectus producere, & non alios eiusdem omnino rationis. Iuxta quod in forma concedo maiorem si commode recurri potest ad causam secundam, sed nego suppositum minoris, quod scilicet absque inconuenientia possit id dici: & nego etiam consequentiam.

Respondeo secundo, negando minorem: quia quamvis tribueretur sua propria series cuique cause, tamen ut ex illa ipsa serie unus effectus potius quam alius producat debet recurri ad Deum, tanquam ad causam determinatam: ergo per determinatam illam seriem non vetatur recursus ad Deum.

39 Dices, non solum determinatam seriem effectuum tribui debere cuilibet cause; sed etiam in ipsa serie effectus subordinari inter se ita ut in talibus circumstantiis talis effectus, & nullus alius possit à causa provenire: quod si hoc dicatur, non erit recurrendum ullo modo ad Deum tanquam ad causam determinatam.

Contra, quia omnino absurdum videtur, quod cum vllis circumstantiis vllus vnus effectus, qui non necessario respicit illas sic, quin absque illis posset produci, habeat magis necessariam connexionem, quam alius omnino similis effectus. Deinde Deus ipse posset in quibuscunque circumstantiis effectum se solo producere: ergo si hoc non faciat, sed admittat simul concursum creature debet dari aliqua ratio: sed nulla potest, nisi quod ita ipsi placeat, aut ita velit: ergo ut effectus producat, à creatura debet necessario recurri particulariter ad Deum, & consequenter non vetatur ille recursus, neque per determinatam seriem effectuum, neque per subordinationem effectuum inter se, qualem fingunt aduersarij.

Confirmatur tota hæc responsio: quia si ponatur, quod effectus habeant inter se inuicem determinatum ordinem sic, ut hoc tempore & in illis circumstantiis talis numero & non alius produci debeat; quamvis vnus effectus posset produci à pluribus causis diuisim, posset assignari ratio, cur vnus effectus hic & nunc potius quam alius producat, ab illa causa. Nam ratio erit quod non sit alia causa applicata productiua talis effectus, & consequenter, quod illa causa sit determinata ex se ad talem effectum: ergo adhuc posset vitari recursus particularis ad Deum, quamvis diceretur, quod vnus effectus posset produci à pluribus causis.

Dices: hoc posse dici, quando altera causa adest, sed non posse, quando adest.

Contra, quando adest altera causa, potest dici, quod effectus ille ipse, qui alias ab vna causa, si sola adest, peteret ex natura sua produci potius, quam vllus alius; quando adest alia causa similis æque applicata, petat ab vtraque produci potius, quam vllus alius effectus.

40 Obiicies quarto pro Compluribus: per hoc, quod individua sint eiusdem speciei, non habent in se inuicem

eandem realiter naturam, sed similes naturas: ergo per hoc, quod habeant potentiam actiuam eiusdem rationis, non sequitur aliud, quam quod possint facere effectus similes: possent autem producere effectus similes, quamuis non possent facere eisdem numero effectus.

Confirmant: quia differentia individualis limitat rem, cuius est, non solum in ratione essentiae, sed etiam in ratione potentiae actiue: sed per hoc quod limitat animam, v. g. rationalem in ratione essentiae, facit quod anima nequeat constituere idem numero compositum, quod alia anima constituere potest: ergo per hoc, quod limitat eandem animam, v. g. in ratione naturæ seu potentiae actiue, facit quod non possit eadem anima efficere illud ipsum, quod alia anima efficere potest.

Confirmant secundo, quia ratio potentiae actiue abstractæ à cunctis particularibus potentiis actiuis aliquid amplius includit, quam quæuis singularis potentia, quæ sub illa continetur, quandoquidem in illa contineatur vis & perfectio totius speciei, cum tamen in quolibet individuo non reperiatur, nisi partita: sed in illa potentia abstracta non reperiatur nisi vis factiua respectu omnium individuum speciei, quam potest producere: ergo non potest tanta vis reperi in quolibet individuo sub ipsa contento; & consequenter hoc individuum sub ipsa contentum non poterit producere, nisi aliqua individua eiusdem speciei, & aliud alia.

41 Respondeatur concedendo antecedens & consequentiam, etiam in sensu præciso: neque nos ex eo quod res sint præcise similes, colligimus quod possint eisdem effectus producere: sed ex eo, & quia nulla est ratio nec inconuenientia, cur effectus ille ipse numero, qui provenit ab vna, non posset provenire ab altera, quandoquidem æque distinguatur numero ab vtraque, & æque conueniat specificè cum vtraque: neque est eadem ratio, cur individua eiusdem speciei nequeant habere eandem realem positiue naturam, & cur vnus effectus realis non possit provenire à duabus causis; nam in primo est manifesta repugnantia; non in secundo. Quod si quemadmodum duo individua, licet sint similia, non conueniant in eadem natura realiter: ita etiam vnus effectus non posset provenire à duabus causis; profecto neque à Deo ipso posset produci effectus ille ipse idem numero, qui à creatura procedit contra aduersarios.

Ad confirmationem primam respondeo negando consequentiam: quamvis enim limitet rem quoad vtramque rationem, tamen non debet limitare rem eodem modo, quoad effectus, quos constituit per modum cause intrinsecæ, & quoad effectus, quos causat per modum cause extrinsecæ; effectus enim quos constituit intrinsece inuoluunt intrinsece illam ipsam rem, & consequenter, si non sit illa ipsa, nec erit ille ipse effectus, etiam de potentia absoluta; effectus autem quos causat extrinsece, & efficienter, non inuoluunt essentialiter illam, sic quin possint esse absque illa, etiam naturaliter; ergo bene posset produci ab alia causa ille ipse effectus, quamuis compositum idem numero nequeat esse absque iisdem numero causis intrinsecis.

42 Et si quæras, quomodo limitabitur in ratione potentiae actiue.

Respondeo, quod limitetur ad talem numero potentiam quæ distinguitur numero ab omni alia potentia actiua, à sua singularitate. Quod si quemadmodum eadem numero anima non potest constituere idem numero compositum, quod constitueret alia numero anima: ita vnum individuum nequit producere eundem effectum, quem posset producere aliud individuum, sequeretur quod nec Deus ipse posset effectus cause secundæ absque concursu cause secundæ producere, quod est absurdum.

43 Ad confirmationem secundam respondeo primo, concedendo totum; nec facit contra conclusionem nostram: neque enim nos dicimus quodlibet individuum vnus speciei posse producere omnia individua istius speciei, non enim potest producere seipsum. Itaque quandoquidem potentia productiua ignis, ut sic comprehendat omne individuum ignis, ita ut nullum sit individuum ignis;

Causæ non habent determinatam seriem effectuum.

nis, quod non possit per illam potentiam produci; nulla autem potentia productiva particularis ignis possit omne individuum ignis producere, quia non seipsum; sequitur quod nullum individuum comprehendat tantum, quantum ratio specifica abstracta, quamvis possit vnum individuum omnia alia individua præter seipsum producere, quæ ab alijs similibus individuis produci possunt.

Respondeo secundo, distinguendo maiorem: si intelligatur, quod possit se extendere simul & semel ad plura, quæ vlla potentia factiva particularis, aut quod possit in pluribus reperiri, concedo maiorem; si intelligatur, quod possit producere aliquod particulare individuum, quod potentia particularis, in qua contracta reperitur, nequeat producere (excipio semper illud ipsum individuum potentia particularis) nego maiorem & consequentiam. Itaque quemadmodum potentia visiva ut sic non potest tendere in aliquod obiectum, in quod quæcunque potentia particularis non possit tendere; & quemadmodum potentia activa ut sic, abstracta à Deo & creaturis siue vniuocæ, siue analogice, nequit aliquid producere, quod non possit potentia activa Dei producere: ita etiam non est inconueniens, quod potentia activa ignis, ut sic, non possit aliquod individuum particulare, quod non possit produci à quocunque igne particulari: cuius ratio à priori est, quod potentia quælibet particularis activa comprehendat in se virtutem illam actiuam, ut sic, quoad omnia præter extensionem individualement, quæ extensio est impertinens ad productionem cuiuslibet individui producibilis per potentiam actiuam ut sic.

CONCLUSIO II.

44 *Effectus semel corruptus possit iterum produci etiam enaturaliter, vel ab eadem, vel à diuersa causa, si applicaretur eadem materia, & Deus vellet concurrere simili concursu quo concurrebat antea ad eius productionem.* Hæc est *D. 4. d. 4. q. 3. num. 1. cum suis*; & *Richardo 16. d. 3. q. 7.* contra eos, qui existimant causam quamcunque habere determinatam seriem effectuum, quos certo ordine ex natura sua debet producere; & contra communiorum sententiam recentiorum, quantum ad productionem naturalem.

Probat primo ex Philosopho 5. *met. c. 3.* dicente, quod si agens est idem & materia eadem, effectus erit idem: quod intelligendum est, modo adit concursus etiam diuinus determinans ad eundem effectum.

Probat secundo, quia determinatio effectus quoad individuum provenit à Deo, nec causa secunda connaturaliter respicit vnum individuum magis quam quodcunque eiusdem rationis ex se: ergo tam naturaliter potest quemcunque producere pro quocunque tempore. Nec refert quod productus fuerit effectus antea, modo defuerit & sit iterum producibilis: quid enim facit illa præcedens productio ad rem: aut cur magis connaturaliter peteret causa concursus Dei ad alium numero effectum, quam ad illum ipsum, qui fuit destructus?

45 *Obijciat*: Conclusio est contra experientiam: ergo non debet asseri.

Respondeo negando antecedens, non est enim vlla experientia, quin effectus possit produci in casu conclusionis. Fortassis est contra experientiam, quod causa secunda de facto produxerit effectum semel, destructum, sed aliud est quod produxerit aliud, quod possit producere si applicaretur eadem materia & præstaretur concursus.

Dices, concursus illum non posse præstari, nisi miraculose: ergo conclusio inuoluit implicantiā, dum dicit, quod possit naturaliter effectus produci.

Respondeo distinguendo antecedens: nisi miraculose, quantum est ex natura causæ secundæ secundum se considerata, nego: ille enim concursus esset tam connaturalis illi, quam quicunque alius, aut quam ipsemet fuerat dum primo producebatur effectus: quantum est ex parte Dei, quatenus scilicet de facto generaliter instituit non præstare concursus talem vlli causæ secundæ, transeat antecedens: & similiter distinguo consequentiam: non producat ipsum naturaliter, quantum est ex parte sua, nego consequentiam; quantum est ex parte Dei, modo iam

explicato, concedo consequentiam.

46 *Dices secundo*: sequeretur quod non posset ostendi quin de facto plures effectus iterum reproducantur; nam non constat decretum aliquod diuinum de non præstando tali concursu, nisi quatenus ex natura rerum colligitur, quod non exigant illum concursum connaturaliter, sed potius exigant illum non præstari.

Respondeo, si non possit id ostendi aliter, quam ex natura causæ secundæ secundum se consideratæ, concedendo sequelam, quia reuera ex parte causæ secundæ non sunt vllæ rationes ad hoc sufficientes: unde absolute quantum ad rationem incertum existimo, an sint aliqui effectus iterum reproducti: sed quia communis authorum sententia est id non contigisse, ita cum multis loquendum & sentiendum etiam, quia nulla ratio est in oppositum.

Obijciat secundo: Philosophus asserit à priuatione ad habitum non dari regressum, nec eandem numero sanitatem posse redire: ergo conclusio est contra ipsum.

Respondeo negando consequentiam, quia Philosophus id non asserit, nisi ex suppositione, quod non præstetur concursus Dei ad eundem effectum determinans; conclusio autem loquitur ex suppositione talis concursus, & applicationis materiae, ac dispositionum sufficientium ad eundem effectum.

QUESTIO IV.

Utrum idem possit producere seipsum efficienter.

47 *C*ertum est idem non posse, quoad primam productionem realem effectiuam producere seipsum, quia causa effectiva debet esse prius natura existens, quam causet aut producat: ergo productio, quæ primo producit, requirit ab ipsamet causa procedere: quæ etiam ratio probat, quod non possit conservare seipsum pro vilo posteriori instanti, quantum ad primam conservationem, sed quod necessario debeat esse alia conservatio ipsius pro quocunque instanti, pro quo conservatio præter suam conservationem. Sed in controuersia est, an ex suppositione, quod producat causa efficiens, vbi gratia, ignis ab aliqua alia causa pro aliquo instanti, ipsemet ignis possit seipsum iterum producere pro eodem instanti. *Suar.* tenet partem affirmatiuam in materia de Eucharistia, & eius sententiam probabilior existimat *Arriaga disp. 7. sect. 9.* Oppositam sententiam tenet *Vasq.* & alij recentiores: & videtur communissima veterum omnium, qui semper exigebant distinctionem realem inter causam effectiuam, & effectum.

CONCLUSIO.

48 *Idem nequit agere in seipsum.* Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

Probat primo: quia implicat duæ actiones, quarum vna sit totalis & adæquata, & alia sit siue totalis, siue partialis, ut patet ex dictis *q. 2.* sed causa efficiens, ut habeat actionem, debet esse producta per actionem totalem: ergo nequit superaddi alia actio vlla pro eodem instanti. Hæc probatio est euident ex suppositione resolutionis nostræ in prædicta questione secundæ: nec aduersarij oppositum huius conclusionis tenerent, nisi ex suppositione, quod non implicarent duæ causæ totales respectu eiusdem effectus. Unde reuera difficultas particularis huius questionis, quatenus non coincidit cum difficultate illius alterius questionis, est, an ex suppositione, quod possint dari plures actiones totales respectu eiusdem effectus, possit causa efficiens habere actionem secundam terminatam ad seipsum.

49 *Probat* ergo in hoc sensu à *Vasquez*, quia nihil potest esse subiectum sui ipsius, seu forma sui ipsius: ergo neque causa efficiens sui ipsius.

Respondet Arriaga, negando consequentiam, cuius negationis duplicem dat rationem. Prima est, quod materia non possit subiectare aliam materiam, quamvis distinguatur realiter ab ipsa: ergo ratio quare non possit sustentare seipsum non est defectus distinctionis realis quia quamvis distingueretur realiter à se ipsa, non posset sustentare seipsum, sicut non potest alteram, à qua distinguitur realiter: Secunda ratio assignat disparitatem

inter

effectus semel corruptus possit redire idem numero naturaliter.

Idem nequit seipsum producere quoad primum esse.

inter causam effectiuam & materialem, nimirum; quod causalitas materialis, vel est vnio, vel requirit essentialiter vnionem: vnio autem nequit esse, nisi inter extrema realiter distincta. Causalitas autem efficiens non requirit essentialiter vnionem, vnde, si aliunde non implicat, poterit dari absque vlla distinctione.

Contra primam ex his rationibus: quia licet ostendat defectum distinctionis realis non esse causam præcisam, aut solam, quare materia nequeat subiectare seipsam, tamen non ostendit quin illa sit vna causa & sufficiens, quamuis nulla alia causa esset. Vnde in forma *Respondeo* distinguendo consequens: ratio præcisa & sola, transeat, ratio sufficiens, negatur. Imo ipsemet *Arriaga* in secunda ratione fatetur rationem cur causa materialis nequeat materialiter causare seipsam esse, quod illa causalitas requirit distinctionem realem.

50 Contra secundam rationem: quia non magis videtur vnio exigere extrema distincta, quam actio, & qui negaret vnum, posset optime negare alterum.

*Probat*ur tertio, idem nequit esse dominus aut rex aut pater sui ipsius: ergo nec causare seipsam.

Negat *Arriaga* consequentiam, & dat pro disparitate; quod dominus, ac rex debet esse superior, cui fiat obedientia; vnde requirit distinctionem voluntatum: non est autem idem de causa, quoad secundam productionem.

Contra, quia non debet magis requiri distinctio voluntatum ad superioritatem, aut obedientiam, quam entitatum ad causalitatem effectiuam. Imo sane videtur facilius multo quod aliquis posset obedire sibi ipsi, quam quod posset produci realiter à seipso.

*Probat*ur quarto conclusio: quia implicat aliqua actio totalis respectu alicuius effectus, per quam solam non possit poni effectus: sed per actionem illam secundam non possit poni effectus, quia desinente prima actione deberet desinere res per illam producta, nec posset haberi illa secunda actio, quia alias causa non esset prius natura existens, quam actio ipsius contra ipsosmet aduersarios.

Confirmatur hoc: si darentur duæ causæ totales eiusdem effectus, esset hoc emolumentum ad minus, vt putant tenentes illam sententiam, quod destructa alterutra sola, effectus adhuc maneret in esse per actionem alterius, & hac ratione asserunt possibilitatem talis casus: ergo si id non ita se haberet, casus non esset possibilis: sed si destrueretur in casu nostro, causa quæ primo producerem, non posset conservari nec manere in esse per actionem à se ipsa procedentem: ergo quamuis non repugnarent duæ actiones totales, respectu eiusdem effectus, adhuc repugnaret, quod idem posset producere seipsam.

*Probat*ur quinto: quia actio videtur repugnare in rerum natura etiam de potentia absoluta, quæ nullum prorsus præstare potest emolumentum, & per quam nihil potest fieri, quod alias non fieret necessario absque illa: omnis enim entitas possibilis habet aliquam bonitatem, & vsum: sed nihil prorsus fieri potest per illam actionem, nisi productio effectus in illo instanti, in quo fit: & effectus in eodem instanti necessario deberet esse per illam actionem, nec posset fieri per illam, quin fieret per illam aliam actionem: ergo prorsus habet vsum possibilem.

Ex qua ratione potest deduci implicantia hoc modo: Illa actio haberet vsum, & non haberet, haberet quidem, quia esset ens, & possibile ac volibile à Deo; non haberet autem, quia nihil posset fieri per illam solam, nec per illam, vt coniunctam cum alia actione, quod non æque bene fieret, & æque necessario per aliam actionem.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrum causa possint esse sibi inuicem causæ?

52 IN præcedentibus quæstionibus comparatæ sunt causæ ad effectus, nunc ad se inuicem comparabuntur. Quamuis autem varie comparari possint ad se inuicem, tamen hæc comparatio in ratione cauandæ se mutuo est potissima & maioris difficultatis; ac propterea de ea specialiter instituta est quæstio, sed breuiter aliquid etiam de aliis comparationibus dicitur.

Pro intelligenda autem principaliori difficultate aduertendum est, quod quæstio posset intelligi tam de causis eiusdem generis, vt sunt duæ causæ efficientes, aut duæ materiales; quam de causis diuersi generis, vt sunt causa materialis, & causa formalis, & controuersiam esse; an in eodem instanti, quo causatur vna causa ab altera, verbi gratia, forma à materia, possit materia à forma vicissim causari simul & semel.

Præterea, vt veniamus ad ipsam difficultatem, supponendum est, quod causa efficiens, & finis possint se inuicem causare, quia calor, qui efficitur realiter ab igne, posset esse causa finalis mouens aliud efficiens ad producendum illum ignem, à quo causatur, & de facto ambulatio, quæ causat sanitatem efficienter, habet pro fine eandem met sanitatem. Ratio autem à priori est, quia causa efficiens non causat intentionaliter, sed physice effectum suum, & ad hoc sufficit, quod existat realiter independentem ab existentia reali sui effectus; vnde quia sic existere potest independentem à causâ suâ finalis existentia reali, nihil impedit, quo minus possit causare suam causam finalem, si alias habeat virtutem productionis eius. Causa verò finalis causat intentionaliter, & vt sic causet, non requirit existentiam realem propriam; vnde potest habere prioritatem intentionalem sufficientem, vt causet illam causam, à qua ipsamet causatur realiter.

Causa efficiens & finis possunt se inuicem causare.

Deinde omnes fatentur, materiam in genere causæ materialis non posse causari ab alia materia, quam ipsamet causaret in genere causæ materialis; nec formam posse causari ab alia forma, quam ipsa formaliter causaret; nec efficiens posse causare formam, aut materiam, à quibus ipsummet constituitur formaliter & materialiter.

Materia nequit causari à materia, nec forma à forma mutuo.

Ratio primæ partis est, quis causa materialis non potest causare materialiter, nisi illud, quod recipit in se, aut in quo intrinsece reperitur per modum potentie, sicut corpus reperitur in homine, & materia prima in igne: sed non potest recipere aliam materiam in se tanquam in subiecto, nec recipi tanquam pars potentialis in alia materia, quæ causaret ipsam, vt est euident: ergo non potest causare materialiter illud, à quo causaretur materialiter.

Ratio secundæ partis de forma est similis, quia forma non potest causare formaliter, nisi vel illud, in quo recipitur, tanquam subiecto, vel illud in quo recipitur tanquam pars intrinseca essentialis actuans alteram partem, vt anima se habet in homine: sed neque illud, in quo recipitur altero ex hismodis, potest esse forma ipsius, ergo nequit causari formaliter ab illo ex illis.

Ratio denique tertie partis est, quod efficiens non possit causare antequam existat realiter: non potest autem existere realiter pro vlla prioritate, etiam naturæ in quo aut à quo, antequam existant materia, & forma ipsius, vt est euident: ergo nequit efficere materiam aut formam quibus constituitur. Verum quidem est, quod causa efficiens possit causare formam, quæ forma constitueret ipsamet causam in esse tali; verbi gratia ignis potest causare calorem, qui calor constituit, & causat ignem in esse calidi, sed non potest tamen constituere aut causare ignem in esse ignis.

Efficiens nequit causare formam aut materiam ex quibus constat.

Tota ergo difficultas huius quæstionis reducitur quantum ad causas eiusdem generis ad causas efficientes, & quantum ad causas diuersi generis, ad causam materialem, & formalem.

CONCLUSIO II.

53 CAUSÆ efficientes nequeunt sibi inuicem esse causa pro eodem instanti ita, vt altera ab altera realiter dependeat in genere causæ efficientis. Hæc est communissima.

*Probat*ur, quia causa efficiens est prior suo effectui quoad realem existentiam prioritate naturæ, id est independentem ab effectu tanquam ab aliquo dante sibi suum esse: ergo nequit causari ab illo, quod est suus effectus: sed sic causaretur, si daretur mutua causalitas pro eodem tempore inter duas causas efficientis: ergo non potest dari talis mutua causalitas.

X x

Probat

Probatur antecedens: quia impossibile est quod possit egredi actio realis physica ab aliquo, quod non supponitur realiter existere, seu quod non habet sufficientia principia, per quæ realiter existat, independentem ab ipsamet actione, nisi saltem per actionem ipsam existat realiter aut recipiat suam existentiam: sed causa non existit per actionem suam, neque ab illa recipit existentiam suam, alias causaret seipsam: ergo independentem ab actione habet sufficientia principia: quibus existere possit, taliter ut, si per impossibile aut possibile non esset actio illa, adhuc existeret: sed si habet independentiam talem ab actione, debet necessario habere independentiam ab omni eo, quod ponitur per actionem, quodque non poneretur nisi per actionem; ergo habet independentiam à suo effectu, qui ponitur per actionem.

55 *Obiicit.* Duæ causæ efficientes possunt se mutuo conservare: sic enim duo carbonēs & duæ manus calidæ se conservant mutuo: similiter calor conservatur ab igne & conservat ignem; ergo possunt etiam se mutuo producere, neque magis repugnat duarum causarum efficientium mutua productio, quam mutua conservatio, conservatio enim & productio eatenus solum distinguuntur, quod productio dicat respectum ad non esse immediate præcedens, conservatio verò dicat respectum ad esse immediate præcedens.

Respondet negando antecedens, loquendo de conservatione directâ: neque enim sic carbonēs conservant se invicem, sed indirecte tantum, quatenus scilicet coniuncti magis possunt resistere contrariis, quam si essent separati à se invicem. Eodem modo negandum est quod calor conservet ignem per actionem aliquam directè terminatam ad ignem, licet conservet ipsum indirecte, quatenus impedit introductionem dispositionum, quibus introductis destrueretur.

CONCLUSIO II.

56 *Materia & forma non possunt se mutuo causare realiter.* Hæc est *Doct.* 1. d. 12. q. 2. cum suis omnibus, quos sequitur *Suar. disp.* 15. *Met. Hurtadus disp.* 8. *Arriaga disp.* 7. *Phys. n.* 102. contra *D. Thomam* 1. p. q. 66. art. 1. cum suis communiter, ac *Rubio, Fonseca, Cominbricensibus, & Complutensibus* hic.

Probatur primo conclusio ex Aristotele hic *tex.* 30. & 5. *Metaph. c.* 2. quibus locis agens de mutua causalitate, quam agnoscit causas diversis ordinis posse habere circa se invicem, solum adducit exemplum de causa finali, & efficienti, ergo sentit nullas alias causas posse habere mutuum causalitatem circa se ipsas præter illas. Probatur consequentia: quia eius institutum, & propositum erat declarare, quæ possent esse sibi invicem causæ: ergo vel non est assecutus propositum, vel certe sentit solum causam efficientem, & finalem posse sibi invicem esse causas. Et licet argumentum ab authoritate negativæ non soleat valere, tamen quando unus ex proposito debet numerare omnes species, & solum enumerat duas, optime possumus colligere, quod saltem non existimaverit dari plures species.

57 *Probatur secundo ratione:* quia materia secundum totum esse realiter intrinsecum suum præsupponitur formæ: ergo secundum esse reale intrinsecum suum non potest dependere à forma tanquā à priori in vilo genere causæ influentis esse reale suum in materiam. Antecedens patet evidenter in materia prima ligni, quæ multis annis posset existere antequam sit in ipsa forma ignis: & præterea secundum suum esse reale causat ipsam formam: ergo habet præsupponi quoad totum suum esse reale ipsi formæ. Patet etiam consequentia, quia dependentia non potest esse sine indigentia: sed materia nullam habet indigentiam quoad esse suum intrinsecum à forma, cum habeat suum esse intrinsecum priusquam sit forma: ergo quoad esse suum intrinsecum non dependet à forma.

58 *Confirmatur primo:* quia si materia dependeret à forma, & forma à materia, idem esset prius & posterius alio; secundum idem esse, quod est absurdum. Probatur sequela: quia materia quoad esse suum reale existentia esset prior formæ, quandoquidem ad eam concurret per

influxum realem, & secundum illud ipsum esse reale existentia esset posterior eadem forma, si forma influeret realiter in ipsam.

Confirmatur secundo: quia idem esset existens, antequam esset, quod est absurdum. Probatur sequela: quia causa debet esse existens antequam causet: ergo forma, si esset causa materia, deberet esse existens antequam eam causaret: sed tum deberet esse existens, antequam esset existens, quia non est existens antequam causetur à materia, & materia non posset eam causare antequam existeret.

Respondet ad hæc *Aduersarij*, non esse absurdum quod idem sit prius alio in vno genere causæ, & posterius ipso in alio genere, licet in eodem genere causæ non posset vnum esse prius & posterius altero: materia autem secundum ipsos, tantum habet esse prior in genere causæ materialis, & posterior in genere causæ formalis.

59 *Contra* quia ideo causa efficiens non potest vilo modo causari ab effectu suo in vilo genere causæ, quia præsupponitur secundum totum esse reale existentia ipsius suo effectui: & ideo colligitur quod sic præsupponitur quia non potest realiter causare, nisi sic præsupponeretur: ergo cum materia causet formam realiter, debet præsupponi formæ secundum suum esse reale existentia, & consequenter debet concedi quod secundum illud esse nequeat causari à forma in vilo genere causæ realiter influentis: & certe si hoc negetur de materia, æque bene potest dici, quod causæ in eodem genere causæ, nimirum in genere causæ efficientis, possint se invicem causare; nam illa diversitas generis quantum ad propositum est impertinentissima; quare enim res præsupposita alteri quoad totam entitatem realem suam posset causari ab altero in diverso genere magis, quam in eodem & sane existimo aduersarios nunquā daturus in hac re sufficientem disparitatem.

60 *Confirmatur tertio:* quia ideo efficiens non potest causare materiam suam, à qua causatur materialiter tantum, in alio genere causæ, nimirum efficientis, quia materia præsupponitur in esse existentia efficienti, aut actioni ipsius: ergo si materia præsupponatur formæ, nequaquam poterit etiam in diverso genere causæ à forma causari quoad entitatem intrinsecam suam.

Præterea: quando dicunt materiam esse priorem in genere causæ materialis, & posteriorem in genere causæ formalis, quid volunt per hoc? an materiam quoad aliquam formalitatem aut partem sui esse priorem, & quoad aliam posteriorem? Quod si hoc dicant, patet esse falsum, nam ut iam ostensum est, tota entitas materiae primæ, verbi gratia ligni, est prior forma ignis, quæ postea producit in ea, aliàs enim non potuisset causare realiter illam formam. Si verò dicant materiam esse priorem forma, secundum quod non informatur à forma, posteriorem verò secundum quod informatur, verum quidem dicunt, se nihil ad propositum: neque enim dubitatur materiam quoad informationem dependere à forma, sed utrum quoad illud esse quod informatur per formam, eamque recipit, dependeat à forma. *Pluribus:* per illam limitationem in genere causæ materialis vel volunt significare, quod non prius existat simpliciter sed tantum in tali genere, vel non volunt; si non volunt: ergo admittent quod simpliciter prius existat, & consequenter admittent quod superflue addant illam limitationem, & quod nullo modo dependeat simpliciter à forma in sua existentia, & hoc est nostrum intentum. Si secundum volunt, falsum est quod sic prius existat, quia nihil prius existere dicendum est alio in aliquo genere, quod illud aliud non existit, sicuti non potest res dici albiore, quæ nullo modo est alba.

Confirmatur secundo: quia si materia habeat suam existentiam in genere causæ materialis independentem à forma, ut concedunt aduersarij iuxta illam distinctionem: ergo in genere causæ materialis non dependet à forma; sed nullum aliud genus causæ habet: ergo in nullo genere causæ dependet à forma.

Confirm. tertio: quia si habeat suā existentia in genere causæ materialis independentem à forma, non est opus quod habeat ipsam dependentem ab illa in genere causæ formalis, cum nihil per hoc possit præstare quod sine eo non posset.

Probatur

Materia & forma non possunt se mutuo causare.

Responsio aduersarij.

Reiicitur.

Probat. tertio: Ideo colligunt aduersarij dependentiam materiæ à forma; quia non potest naturaliter existere absque aliqua forma; sed hæc ratio non sufficit: ergo, cum aliunde mutua illa causalitas sit valde difficilis, non debet dici quod materia causetur à forma, si forma causetur à materia. Consequentia videtur ab omnibus admittenda, quia non debemus inuolueret res difficultatibus non necessariis.

Probat. antecedens: quia illa necessaria connexio posset facile & absque vlla difficultate provenire ex eo, quod nunquam materia existeret vllibi, nisi vbi esset causa naturaliter inclinata, ac determinata ad producendam in ipsa formam aliquam, quamvis materia secundum se non dependeret ab vlla forma & posset sine vlla existere: ergo illa necessaria connexio materiæ cum aliqua forma potest aliunde provenire, quam ex dependentia materiæ ab ipsa forma, tanquam dante sibi suum esse.

62 *Confirmatur:* quia ignis nequit esse naturaliter absque calore, & tamen non dependet à calore in vlllo genere causæ per se dantis ipsi esse existentie ipsiusmet ignis.

Deinde materia, & forma vnita cum composito habent necessariam connexionem ita, vt non possint esse absque illo, & tamen compositum non causet illas.

Rursus relatio nequit esse absque correlatione, à qua tamen non recipit suum esse: ergo multa possunt habere necessariam connexionem cum aliis, à quibus tamen non dependent, tanquam à causis influentibus, & consequenter ex eo, quod materia nequeat esse absque aliqua forma, non sequitur quod dependeat à forma, tanquam à causa dante ipsi esse.

Confirmatur secundo: quia si aqua non posset esse vllibi, nisi vbi causæ essent calefactiue, non posset esse absque calore, & tamen non dependeret à calore, cum potius calor tenderet in destructionem eius: ergo si similiter materia non posset esse naturaliter absque causa productiua alicuius formæ substantialis, necessario haberet aliquam, quamvis à nulla dependeret.

63 *Dices:* ideo colligimus formam dependere à materia, quia nequit esse naturaliter absque materia: ergo si materia nequeat esse naturaliter absque forma, debet dici quod dependeat à forma.

Respondeo negando antecedens in sensu præciso, quasi scilicet illa sola ratio sufficeret: sed vltius addi debet quod si forma non dependeret à materia, crearetur, quod supponitur absurdum; & deinde quia si non dependeret, non esset ratio cur non produceretur absque materia à causis naturalibus, & præterea quia non esset vlla difficultas aut inconuenientia in dependentia eius: ex quibus rationibus nulla adest ad arguendum dependentiam materiæ à forma. Itaque connexio naturalis & necessaria vnius cum alio non semper arguit dependentiam illius ab illo altero tanquam à priori aut causa, sed solummodo quando aliunde non posset provenire, nisi adestet talis dependentia. Ex his habemus quod causæ realiter influentes in effectum, prout realis influxus opponitur intentionali, non possint se mutuo causare neque in eodem, neque in diuerso genere causæ.

65 *Obiicies primo:* ingressus venti est causa formalis apertionis fenestæ, & rursus apertio fenestæ est causa materialis ingressus ventis: non enim ingrederetur ventus, nisi aperiretur fenestra, neque fenestra hic, & nunc aperiretur, nisi ingrederetur ventus. Similiter calor introductus est causa formalis expellendi frigus & expulsio frigoris est causa materialis introducendi calorem propter eandem rationem: ergo datur mutua causalitas inter causam formalem & materialem.

65 *Respondeo* negando antecedens proprie loquendo, hoc est loquendo de causa formali & materiali, quæ habent aliquam causalitatem positivam directe terminatam ad suos effectus: neque enim ingressus venti, qui consistit formaliter in vocatione noua venti, habet aliquem influxum in apertionem fenestæ, quæ consistit in alia vocatione fenestæ, & si haberet vllam, profecto non haberet formalem, nam certe vbi venti non est forma vbi fenestra vlla ratione; neque etiam apertio fenestæ con-

sistens in vbi ipsius habet vllam causalitatem in vbi venti ingredientis; & si haberet vllam, non haberet materialem, cum non sit causa materialis in qua, aut ex qua constituitur illud vbi venti. Similiter calor introductus non habet vllam causalitatem positivam in frigus quandoquidem frigus quod expellitur non fit in illo instanti, in quo est calor, & implicat causalitatem realem & positivam esse pro vlllo instanti, pro quo non est terminus ipsius, & si haberet causalitatem vllam, non video quomodo posset esse formalis, quandoquidem calor introductus non sit forma frigoris aut expulsionis eius. Nec prius est vlllo modo realiter ingressus venti quam apertio fenestæ, sed pro eodem instanti aut tempore quo ingreditur ventus, aperitur fenestra ab eadem causa, à qua mouetur ventus, quæ causa simul producit vtrumque vbi absque vlla prioritate temporis aut naturæ: & eodem modo discurrendum est de introductione frigoris, & expulsionem caloris. Dicitur tamen apertio fenestæ esse causa materialis ingressus venti, quia videtur se passive habere cum cedat suo loco; & ingressus venti dicitur esse formalis, quia nisi sisteretur ventus per modum formæ in loco, in quo fuit ante fenestra, non recederet fenestra ab illo loco ob impossibilitatem quasi formalem, quam habent duo corpora naturaliter ad occupandum eundem locum: sed ex hac impossibilitate non oritur quod exerceatur causalitas aliqua proprie dicta formalis, quæ directe terminaretur ad apertionem fenestæ.

66 Ad probationem antecedentis dico illum modum loquendi: nisi hoc esset, illud non esset, non arguere semper dependentiam à priori: nam si esset aliquis effectus necessario sequens aliquam causam, à quo non causeretur ipsa causa, verum esset dicere quod nisi esset ille effectus non esset illa causa; & tamen causa, vt suppono, non dependeret ab illo effectui tanquam à priori aut communicante sibi suum esse. Vnde de facto, licet verum sit dicere: nisi quis esset risibilis, non esset homo; tamen non est verum dicere, quod risibilitas sit causa à priori, à qua habet esse homo. Similiter etiam quando sunt duo effectus sic connexi, vt vnus non possit esse à causa sua, quin alter etiam sit à sua; verum erit dicere, quod nisi sit vnus effectus, non sit etiam alter, & tamen non necessario sequitur quod vnus dependeat ab altero tanquam à priori: & ita sane contingit in casu apertionis fenestæ ac ingressus venti, & in casu expulsionis frigoris & introductionis caloris.

Aliud exemplum solent asserre ad probandam mutua causalitatem: nempe si lapis appensus filo frangat filum, descendet deorsum, tum autem motus lapidis esset causa fractionis fili, & fractio fili esset causa motus lapidis: ergo datur mutua causalitas. Hoc exemplum non est ad propositum, quia motus sequens fractionem fili non est causa istius fractionis, sed motus antecedens, cuius motus fractio non est causa, sed potius effectus.

67 *Obiicies secundo:* Fieri solet vt duo baculi cadentes occurrant sibi inuicem, & se mutuo ab vltiori casu consequent, sustentando se inuicem realiter: ergo causæ realiter influentes possunt se mutuo causare.

Respondeo negando consequentiam: & vt intelligatur quare, aduertendum est tria posse considerari in illo casu: primum ipsos baculos secundum existentiam realem suam: & certum est quod quoad illam non debeant à se inuicem. Secundum, illa duo vbi noua, quæ habent: & si diceremus quod causarent in se inuicem illa vbi, non esse contra conclusionem, quia non est inconueniens quod duæ causæ efficientes agant in se inuicem, vna producente aliquem effectum in altera alium in ipsa.

Dices: vbi vnus baculi est causa vbi alterius & à contra, aut saltem sunt priora se inuicem, quia nisi vnus esset, alterum non esset.

Respondeo negando antecedens cum sua probatione, quia vt paulo ante dixi, posset fieri quod vnus non esset absque altero, quamvis non habeant prioritatem vllam inter se, ex eo scilicet, quod essent effectus simultanei.

Tertium quod considerari potest, est negatio vltioris motus: & negatio motus vnus baculi sequitur ad vbi alterius eiusdem, & negatio alterius sequitur ad vbi alterius.

Xx 2 Præterea

Præterea ipsi aduersariis respondendum est, quia in quocumque genere causæ vnus baculus sustentat alterum, sustentatur ab altero: ergo ex hoc exemplo sequeretur mutua causalitas realis in eodem genere causæ, quod est contra aduersarios.

68 *Obiicies tertio*: si materia non dependeret realiter à forma tanquam à causa, esset perfectior forma, quandoquidem forma dependeret ab ipsa, & duobus comparatis ad inuicem illud videatur perfectius, quod minus dependet ab altero.

Maiores perfectio rei non semper ex minori dependentia desumitur.

Respondeo negando sequelam, & ad probationem dico, quod maior perfectio rei non semper ex maiori, vel minori dependentia, sed aliquando etiam ex perfectiori operatione, vel actiuitate desumatur: ita vt si sint duo, quorum vnum dependet ab altero, & cum hoc habet maiorem actiuitatem quam ipsum, possit esse perfectius illo altero, quamuis alterum ab ipso non dependeat: sic qualitates, quamuis dependeat à quantitate materialiter, & quantitas non dependeat ab ipsis, sunt tamen perfectiores quam quantitas propter maiorem actiuitatem quam habent: sic etiam homo est perfectior calo, à quo dependet, quia habet perfectiores operationes quam calum.

69 *Obiicies quarto*: sequeretur quod materia esset perfectior, & forma perfectibilis, contra omnes: patet sequela, quia illud est perfectius, quod dat perfectionem, & perfectibile, quod recipit perfectionem.

Respondeo negando sequelam, proprie loquendo, & distinguendo eius probationem: quod dat perfectionem distinctam à re, quæ dicitur perfectibilis seu perfici, concedo: indistinctam, nego: materia autem non dat perfectionem formæ distinctam ab ipsa forma, & consequenter non erit perfectior ipsius, proprie loquendo.

Obiicies quinto: materia in ordine ad operandum indiget forma: ergo & in ordine ad existendum.

Respondeo negando consequentiam, quidquid sit de antecedenti: quamuis enim anima in operando intellectualiter dependeat ab obiecto, tamen non dependet in existentia ab ipso; & vniuersaliter causæ partiales dependent à se inuicem in operando, non tamen in essendo, vt patet in causa efficiente, quæ dependet à materia in operando, non in essendo.

70 *Obiicies 6.* Esse accidentale semper dependet à forma accidentali; ergo & esse substantiale à forma substantiali.

Respondeo negando consequentiam: & disparitas est, quod omne accidens sit forma accidentalis, omnis autem substantia non sit forma substantialis. Ex his patet, si Deus vellet conseruare materiam sine forma, quod eadem prorsus actione, qua de facto conseruat, id faceret, & non deberet vltius supplere vllam causalitatem alterius causæ quia nulla est alia causalitas terminata ad materiam secundum se, & suam propriam existentiam, quam deberet supplere Deus.

Obiicies vltimo: Passio seu productio passiva dependet realiter ab effectu, in quo subiectatur eodem modo, quo cetera accidentia dependent à suis subiectis inhesionis sed idem effectus dependet etiam realiter ab ipsa, quando loquidem per illam ponatur, & sit ratio formalis, per quam recipit esse: ergo datur mutua causalitas realis vel in eodem vel in diuerso genere, & consequenter alterutra ex præmissis conclusionibus est falsa. Hæc est difficillima obiectio, quæ opponi potest; sed non habet locum contra eos Scotistas, qui putant passionem esse posteriorē effectu, & effectū ab illa non dependere tanquam à priori, neque tanquam à concomitanti; quorum tamen doctrina ex aliis capitulis displicet ob rationes positas in Logica disp. de Actione.

71 *Responderetur autem primo* potius me negaturum, quod datur vlla passio ex parte effectus ab ipso realiter distincta, quam concessurum mutuam causalitatem à priori inter aliqua: principia enim suadentia hanc mutuam causalitatem esse impossibilem, sunt vrgentiora, quam quæ probant dari talem passionem; unde si non posset solui hæc obiectio, propter illam non concederem mutuam causalitatem, sed negarem dari talem passionem.

Responderetur secundo negando maiorem: cum sit enim ratio formalis, à qua effectus habet recipere suam exi-

stentiam realem, nequit effectus habere existentiam realem ad causandum istam passionem antecederet ad ipsam passionem: neque enim est eadem ratio de hac passione ac de aliis accidentibus, quia alia accidentia non sunt rationes formales, per quas sua subiecta recipiunt suas existentias, & propterea absque inconuenienti possunt causari à suis subiectis, quod non potest dici de illa passione. Sed neque passio etiam habet prioritatem in quo, sed à quo, respectu effectus; unde vterque egreditur à causa pro eodem instanti temporis ac naturæ, cum hoc solo discrimine, quod actio sit ratio formalis, per quam ponitur effectus, effectus verò non sit ratio formalis, per quam ponatur ista passio, vt patet ex eo quod effectus posset esse absque passione illa, passio autem illa nequeat esse absque effectu.

72 *Dices*: si passio non dependeret ab effectu, in quo subiectatur in genere causæ materialis, crearetur: illud enim dicitur creati, quod producitur independentem à concursu causæ materialis. Deinde non esset ratio vlla, cur non posset produci absque effectu, si non dependeret ab eo vt subiecto.

Respondeo negando sequelam pro vtraque parte: illi ad enim non creatur, quod vel producitur dependenter à subiecto tanquam ab influente & dante esse, vel etiam habet tam necessariam connexionem cum subiecto, vt nulla ratione possit esse absque subiecto, siue ab ipso dependeat tanquam à priori, siue non. Præterea quamuis passio illa non recipiat suum esse à subiecto, posset necessario exigere subiectum, quia ex natura sua intrinseca est essentialis determinatio talis subiecti.

Confirmatur hoc: quia relatio nequit esse absque termino, & tamen non recipit esse à termino in vllō genere causæ: ergo potest fieri quod aliquid nequeat esse sine alio, quamuis non recipiat suum esse ab illo.

Adde ad hæc, quamuis esset mutua causalitas inter effectum & passionem, non esse id contra conclusionem, quia conclusio loquitur de causis, & non de causalitatibus.

73 *Quæres*, an modi causandi quatuor causarum sint ita diuersi quin eidem rei possint competere.

Modi causandi quatuor genera causarum non exigit res realiter distinctas.

Respondeo negativè: nam intellectio, verbi gratia, potest esse causa formalis reddens formaliter intelligentem; & causa materialis respectu relationum in ipsam immediatè subiectarum, vt similitudinis, dissimilitudinis; & causa efficiens respectu habitus ad illam sequentis; & alterius intellectiois; ad quam producendam obiectiue concurreret; & causa finalis respectu multorum mediōrum, quæ ad ipsam acquirendam possent conducere. Imo respectu eiusdem effectus aliquid potest esse causa efficiens & materialis; graue enim est causa efficiens; & materialis vbi, quod de nouo acquirit ablatō impedimento, & posset esse finis etiam eiusdem vbi aliquo modo: sed nequaquam potest idem esse causa materialis, & formalis respectu eiusdem effectus ob rationes particulares harum causarum: calor enim nequit esse causa materialis calidi, cuius est causa formalis; nec anima hominis: nec materia potest esse forma compositi, aut alterius formæ, quæ cum ipsa facit compositum.

74 *Quæres secundo*, an quatuor causæ, quando concurrunt ad aliquem vnum effectum, habeant aliquem ordinem in causando ita, vt vna prius natura agat quā altera.

An causæ habeant in causando ordinem aliquem prioritatis.

Respondeo non posse esse prioritatem aliquam realem, ex qua sequeretur, quod causalitas vnius causæ posset esse absque contradictione absque causalitate aliarum causarum; talis enim prioritas implicat, quia causæ hæc, quando concurrunt, sunt essentialiter sibi inuicem subordinatæ, & causalitates ipsarum sunt essentialiter partiales ac dependentes ab inuicem sic, quod vna non possit egredi à sua causa, quin aliæ à suis egrediantur. Hec prorsus video quomodo etiam vna causalitas possit esse prior alia causalitate, etiam ratione, cum fundamento vllō in re nisi quatenus potest dici quod, quia finis prius causat amorem sui ac desiderium, quam mouet ad applicanda media; causalitas ipsius sit prius quā causalitas, qua causa efficiens causat, seu applicat illa media: non tamen potest dici prior quam causalitas causæ efficientis producentis effectiue illum

illum amorem ac desiderium. Et quia efficiens prius producit formam, quam forma constituit compositum, potest dici quod causalitas efficientis sit prior causalitate formæ. Sed reuera quando quatuor hæc causæ habent quatuor causalitates immediate terminatas ad aliquem effectum, aut quando quælibet ex ipsis immediate causat aliquem effectum siue vna causalitate, siue pluribus; non eredo esse vllam prioritatem, etiam rationis, cum fundamento in re inter causalitates illarum aut ipsarum quatenus causant.

An habeant
ordinem
dignitatis.

75 *Quæres secundo*, an habeant aliquem ordinem dignitatis inter se, ita vt vna sit dignior altera.

Respondeo cum Scotto in 1. disp. 2. quæstione secunda, numero decimo sexto, in primis causas extrinsecas esse nobiliores in ratione causæ, seu habere nobiliorem modum causandi, quam habent intrinsecas. Ratio est, quod causalitas causæ materialis inuoluit potentialitatem ipsius & limitationem, & causalitas etiam causæ formalis inuoluit limitationem & dependentiam ab alia comparte: efficiens autem, & finis non inuolunt huiusmodi imperfectionem; vnde Deus ipse potest habere & de facto habet rationem causæ efficientis & finalis omnium rerum, & hac ratione vocatur Alpha & Omega in Apocalypsi.

Ex causis verò intrinsecis causa formalis est nobilior, quia causat actuando ac perficiendo; materia verò causat recipiendo. Nec refert, quod materia causat ipsam formam, cum tamen ipsamet non causetur à forma; nam comparamus ipsas in ordine ad effectum, quem causant, & dicimus, quod causa formalis habeat nobiliorem modum causandi quemcumque effectum, quem cum materia causat, quam ipsamet materia; quidquid sit an secundum alias considerationes materia posset esse perfectior, quam forma.

Denique si comparantur causæ extrinsecæ ad se inuicem, finis nobiliorem modum causandi videtur habere, quia agit qua bonum, & mouet ipsum efficiens, vt propter seipsum agat; & in moralibus magis attenditur ad finem, quam ad alias causas in ordine ad colligendam perfectionem actuum humanorum.



DISPUTATIO XII.

De Fortuna, Casu, Fato, Monstro.

RESOLVTO Causarum per se tractatu, pauca restant dicenda de causis per accidens, de quibus Philosophus à *tex. 39. vlt.* que ad 68.

QVÆSTIO VNICA.

Quid sit Fortuna, Casus, Fatum, & Monstrum.

76 **FORTUNAM** Deam esse, aut certe aliquid diuini numinis habere existimant veteres quidam, non solum Poetæ, quibus hoc suo mentiendi iure licuit, sed etiam Philosophi; sed ridicula eorum somnia optime arguit *S. August. 4. de ciuit. cap. 18. & Last. lib. 3. cap. 28.* Itaque Fortuna vere loquendo nihil aliud est, quam causa per accidens in iis, quæ ex electione agunt. Dicitur *causa*, quia aliquo modo est principium, à quo provenit effectus fortuitus, qui etiam aliquando vocatur fortuna, translatò nomine causæ ad effectum. Dicitur *in iis*, quæ agunt ex electione, quia non omnis causa per accidens alicuius effectus est fortuna, sed sola causa libera, quæ dicitur fortuna, quando actionem eius intendit per se aliquem effectum, alius effectus, quem non intendebat, aut qui, si intendebatur, non nisi accidentalem connexionem habebat cum actione causæ, sequitur: nec cognoscebatur ab operante habere connexionem cum effectu primario, quamuis haberet aliquam suspensionem, quod fortassis coniungeretur cum illo. Scotus vltius requirit, vt effectus sit alicuius momenti, quia ex communi modo loquendi non dicitur quis fortunatus, aut infortunatus ex eo, quod præter intentionem eius acciderit aliquid parui momenti; requirit

Quid sit
Fortuna.

etiam vltius, quod effectus, qui dicitur fortuitus, sit rarus, & non sequatur ad effectum per se intentum, vt plurimum; sed quæstio esset de nomine, si quis hoc non requiri contenderet.

Quamuis autem omnis talis effectus vocari posset fortuna in hoc sensu, non tamen dicitur quis fortunatus, cui sufficit talis effectus, nisi effectus sit bonus; nam si sit malus, potius dicitur infortunatus.

Casus dupliciter accipitur, primo large, vt etiam comprehendit fortunam, & non est aliud vt sic quam causa per accidens vt sic. Secundo sumitur strictè, prout distinguitur à fortuna: & secundum Aristotelem, nihil aliud est, quam causa per accidens in iis, quæ non operantur ex electione, verbi gratia, in causis non liberis. Ex quibus constat primo dari fortunam, ac casum contra veteres; quia sine debio dantur causæ huiusmodi.

Quid sit
Casus.

Patet secundo, nihil esse fortuitum aut casuale respectu Dei: quia determinate cognoscit quidquid futurum est, siue per se, siue per accidens producat à causis secundis.

77 *Obiicies primo*: omnis actio humana seu libera est propter aliquem effectum, ergo nulla actio libera est fortuita, & consequenter causa libera non est fortuna.

Respondeo distinguendo primum consequens: respectu effectus per se intenti, concedo: respectu effectus connexioni accidentaliter, & contingenter cum tali effectu, nego consequentiam.

Respondeo secundo distinguendo consequens alio modo, est fortuita, quantum ad hoc quod non producat data opera, concedo; quantum ad hoc quod non habeat connexionem incertam cum alio effectu ratione cuius dicitur fortuna, nego consequentiam.

Obiicies secundo: Effectus necessario coniunctus cum sua causa non est fortuitus: sed effectus, qui dicitur fortuitus, necessario coniungitur cum fortuna, impossibile enim est esse effectum fortuitum, & non esse fortunam.

Respondeo distinguendo minorem, materialiter nego, formaliter concedo, & nego consequentiam. Itaque cum causa illa, quæ est fortuna, quatenus est fortuna, formaliter loquendo, necessario coniungitur effectus, ratione cuius dicitur fortuna, quia alias non esset fortuna, sed cum causa illa quæ est fortuna specificatiue loquendo, & materialiter, non necessario coniungitur ille effectus.

Obiicies tertio: Ludens ex lusu dicitur fortunatus, & tamen ipse intendit lucrari: ergo effectus fortuitus per se intenditur, & consequenter male descripta est fortuna.

Respondeo negando vltimam consequentiam: quia licet intenderet lucrum, tamen sequeretur valde contingenter ad actionem eius; & ipsemet non habet vllum principium, ex quo possit etiam cum probabilitate colligere quod sequeretur ex natura talis actionis, quam ipse applicat: vnde merito tales effectus vocantur præter intentionem actionis, quamuis non sint præter intentionem agentis.

Quid sit
Fatum.

Fatum vno modo accipitur pro dispositione causarum inter se, non comprehendendo Deum, ex qua contingeret vt effectus omnes inevitabiliter succedere debeant; & hoc sensu non datur: nulla enim potest esse dispositio causarum, quæ non posset inuerti per Deum, & causa libera non patiatur talem necessitatem. Alio modo sumitur pro tali dispositione causarum, secundum quam subsunt Diuinæ providentiæ, vt infallibiliter illi soli effectus sint futuri, & eo ordine ac tempore, iisque circumstantiis, quibus ordinatum fuit à Deo ab æterno vt euenirent: & Fatum sic sumptum datur sine præiudicio libertatis.

Quia tamen communius intelligitur fatum in priori acceptione illa, in qua non datur, quam in posteriori, melius absolute negatur dari fatum, quam asseritur, & inter indotatos ac simpliciores cauere debet, ne asseratur.

79 *Monstrum* est effectus naturalis à recta solitaque dispositione secundum speciem degenerans. Dicitur *effectus naturalis*, quia proprie loquendo Monstra reperiuntur tantum in naturalibus, & effectus artificiales deficientes à regulis consuetis artis, non dicuntur Monstra nisi analogice. Dicitur *degenerans à recta dispositione*, quia defleat à lege statuta per naturam. Dicitur *solita*, quia quævis res deficeret

Quid sit
Monstrum.

Xg 3 à lege